

(X190 4066)

7
II n
6725

Historia
CAROLI GUSTAVI
Potentissimi Svecorum, Go-
thorum, Vandalorumq;

Regis

Indultu Inclutæ Facultatis Philosophicæ

Sub PRÆSIDIO

M. JOHANN. CYPRIANI,
Facultat. ejusd. Asses-
soris,

Publicæ Eruditorum Censuræ exposita


a. d. 31. Maji A. 1671.

ab Auct. Resp.

SAMUELE FLEISNERO,
Stet. Pom.

LIPSIÆ,

Literis JOHANNIS-ERICI
HAHNII.



Mons. Eisen

4



Hilf

CAROLUS GUSTAVI

ROBERTUS SVEVICUS, GO-

VERNUS, VANDALORUM,

ET

ALBANUS, SVEVICUS, PLO-

RIUS, PRINCEPS

M. JOHANNI CYPRIANI,

LIBRI

PRINCEPS, SVEVICUS, PLO-

RIUS, PRINCEPS

SAMUELIS FLISNERI,


LIBRI

LIBRI

LIBRI

LIBRI





Ira est Astrologi cujusdam Anony-
mi apud Causinum lib. III. de Domo DEI
cap. XII. opinio, de Religionis, Imperiorum,
animorumq; humanorum in socordiam aut
virtutem conversione. *Prima, inquit ille,
causa generalis translationis Imperiorum, Ar-
tium, Religionis, est continuus Solis descensus ad
terram comburendam. Cùm igitur Sol altissimus esset, erat Impe-
rium & Religio sub Æquatore. Sol enim tùm eorum purgabat spi-
ritus animales, & attenuabat, ex quo ingeniosiores erant, & magis
probi. Ubi autem virtus, teste Livio, lib. IV. cap. XXXVII. ibi et-
iam fortuna. Unde capaciores tùm illis regnandi mentes. Cùm
Sol cœpisset descendere, aruit tellus Æquinoctialis ex parte, factaqve
sunt ingenia fuliginosa, præsertim propè Tropicos, ex quo Religio &
Imperium in Babylonios secessit. Ast postquam descendente paula-
tim Sole cœperunt Assyrii & Babylonii fuligine vexari, dominatus
transiit in Medos; & Medis jam vi nimiâ caloris arefcentibus in
Persas; à Persis ipsis postea fuligine intinctis in Græcos, qui spiritus
nati erant perpurgatiores, mox ipsis incalescentibus in Romanos.
Nobis receptam de eodem semper Solis loco cursuque senten-
tiam hoc loco sectantibus, dicere licebit: Solem si eximium,
quicquam ad virtutem in animis hominum excitandam confert,
eodem vigore, quo hodiè animos Septentrionalium populo-
rum, ad fortitudinem olim accendisse, eamque, quod ignoretur,
non invenisse barbaro seculo, qui posteritati narrarent. Quan-
ta enim in illas gentes cadat virtus, seculi hujus curriculo quàm
maximè orbi innotuit. Primordia ejus Caroli Sudermannia
Ducis, post Regis Svecorum fortitudo decoravit. In progressu
Gustavo Adolpho præclarè gesta in Germaniâ Magni nomen
meruere. Et in fœminam medio tempore virtus, Rempubl. pace*

A 2

bello-

belloque regens, se diffudisse visa est, sed propriam se mox illâ desertâ viris reddidit. Hinc nostrâ ætate Carolus Gustavus, fortitudine non inter Reges modò eccellente, sed inter illos quoque, quorum hæc sola virtus fuit, inclaruit. Finem seculo, nisi à Deo interrumpatur, factis olim inclutus Carolus XI. filius pro voto ac spe subditorum maximâ imponet. Hunc qualem Svecia mox habitura sit, in exemplo Patris, cujus indolem exactè refert, intuebimur. Trademus autem illius Ortum, Educationem, quomodo ad Imperium pervenerit; Postea res gestæ usque ad excessum ejus pertexentur.

CAP. I.
Familia.

Vid. Syllog. Genealogico Histor. celeberrimi Speneri. p. 60. §. 86.

Vid. Micrael. Syntag. Hist. Mundi l. III. §. XII. q. XI. p. 1015. seq. Spener. pag. 60. Rupertus ad Besold. p. 632. In stemmat. Princ. Christianor.

GENS Palatina Germanis antiquitate, amplitudine, atque potentiam inter præcipuas censetur. Eam ex ipsâ Trojâ ab Antenore quodam per antiquos Sicambrorum & Francorum Reges ad Pharamundum, parvâ fide aliqui ducunt, hincque ad Carolum M. descendunt. Alii ad Carolum Francorum primum Regem, dein ex sententiâ populi R. manu ac benedictione Leonis Pontificis Cæsarem & Augustum, referre contenti sunt. Ottonem I. Comitem Palatinum Schirensensem abavum Ottonis V. Majoris, quem Fridericus Barbarossa Ducem Bavariæ constituit. Hi verò cum sine tabulis ac testibus rem maximam agant in posteris Caroli tradendis, donec ad Ottonem deveniant, multum discrepant. Antonius Albizius Nobilis Florentinus seriem familiæ absque difficultate derivat ab Ottone IV. Comite à Scheuren & Wittelsbach, mortuo post Christum natum anno millesimo centesimo supra quadragesimum sexto. Nobis propius cum Nicolao Rittershusio, solertissimo Genealogiarum Orbe Christiano illustrium Indagatore, placet ordiri à Ruperto Duce Bavariæ, Comite Palatino Rheni, Imperatore electo Anno millesimo quadringentesimo. Patre hoc numerosæ proles nati Ludovicus II. s. Barbatus, successit in Electoratu, Stephanus factus est Palatinus Bipontinus, ductâque Annâ Friderici ultimi Comitis in Veldenz & Spanheim Filiâ, Comes Veldentianus & Spanheimensis. Hic ipse per filios, Ludovicum Nigrum stirps est

est Comitum Bipontinorum, Neoburgicorum, & Birkenfelden-
 sium, per Fridericum Ducum Simmerensium, cujus pronepos
 Fridericus III. extinctis cum Ottone Heinrico posteris Ludovici
 II. s. Barbati, Electoralem dignitatem superioris seculi anno un-
 de sexagesimo familiae suae intulit, penes quam hodieque manet.
 Ludovico vero Nigro ortus Alexander, Palatinam lineam Bi-
 pontinam Lautereckanam Carolo Gustavo Sveciae Regi pater-
 nam profeminavit. Hujus enim Alexandri filio Ludovico II.
 Duce Bipontino prognatus Wolfgangus Caroli proavus, qui
 cum ditionem Neoburgicam ab Ottone Heinrico donationis
 titulo accepisset, duas regentes domus in filiis suis constituit,
 Neoburgicam primogenito Philippo Ludovico Avo moderni
 Philippi Wilhelmi, inter Candidatos Regni Polonorum nuper
 relati, secundogenito vero Bipontinam terram traditam. Is Johan-
 nes Avus Caroli ex Magdalenam Wilhelmi Ducis Juliensis fi-
 liam, Johannis Wilhelmi ultimi Juliensium Ducis Sorore ter-
 tiam (unde & haec familia in sortem Ducatum Juliae, Cliviae & Mon-
 zium pari cum ceteris jure venire contendit) tres praeter alios tu-
 lit liberos, Johannem II. Fridericum Casimirum, & Johannem
 Casimirum. A Johanne II. cui tutela Friderici V. Electoris Pa-
 latini minorennis frustra renitente proximo agnato Philippo
 Ludovico (Philippum Gvilielmum memoria lapsus substituit Job. Gursky p.
 Cluverus) testamento commissa mansit, mascula proles descen-
 dere desiit. Friderici Casimiri posteris, quantum novimus, su-
 perant. Johannes Casimirus Caroli Gustavi Regis felicissimus
 Parens est. Princeps ipse Juventutis grave sibi otium ratus
 abierat in Sveciam affinitate geminam junctam caramque, rei mi-
 litaris scientiam, gloriamque bellicae laudis acqvisiturus. Erat au-
 tem per illa tempora Carolo IX. Svecorum Regi affini suo cum
 Sigismundo ex Fratere Johanne III. Nepote Svecorum atque Po-
 lonorum Rege, acerba de regno Sveciae contentio, quo Proceres
 hunc pactis Imperatorum coercentibus contraeuntem abdi-
 caverant. Enascebantur inde alia cum Christiano IV. Dano
 atque Russis bella, quibus Carolus Anno seculi undecimo im-
 mortus, ex una Coniuge Annam Mariam Ludovici V. Elect. Pala-
 tini filiam (tenebras hic offundit, qui Orbis lumen accendit, Auctor pro

*Spener. l. c. p. 83. Sprengers
 Lucerna
 Imp. c. II. p. 186.
 Vid. Censuram
 Candidator.
 Sceptri Polo-
 nici, & Exa-
 men Sarma-
 ticum Floriani
 de Gurriy
 Gursky p.
 40. seqq.
 Epit. Histor.
 p. 721.
 Spener. p. 76.
 seqq.
 Spener. p. 75.
 Patre*

Patre Avum Fridericum III. memorans) superstitem reliquit Catharinam, & ex alterâ Christinâ Adolpho Holsatiæ Duce natâ maximum filiorum Gustavum Adolphum, non solum beilis à Patre acceptis tribus parem, sed majora quoque omni ævo gestis, ausurum. Cùm igitur Johannes Casimirus ingenii dotibus, animi artibus, atque magnis in Sveciam universam meritis, ut pariter carus ac venerandus esset omnibus, effecisset, sororem Regis consanguineam Catharinam uxorem obtinuit. Auspicatum id regno matrimonium non minus quam copiosa prole felix fuit. Anno enim proximè nuptias insequente, Christinâ Magdalenâ, biennio post Carolo Friderico, mox Elisabethâ Æmiliâ aucti Conjuges, hinc interjectâ trium annorum morâ, quâ parere destiterat mater, vires resumtura edendo infanti, quem Regem DEUS destinarat, Carolo Gustavo. Sequuti sunt, deinde plures alii liberi. Maria Euphrosyna, Eleonora Catharina, Adolphus Johannes & Johannes Gustavus. Carolum Fridericum unâ cum Elisabethâ Æmiliâ maturâ morte amisere. Christina Magdalena nupta Friderico II. Marchioni Badensi Durlacensi, quem juxta cum Episcopo Monasteriensi exercitui adversus Turcas militanti Directorem Cæsar Proceresque Imperii Romano-Germanici præposuere. Mariam Euphrosynam conjugem accepit Magnus Gabriel Comes de la Garde majoribus Gallis, sed illustribus in Sveciam meritis ortus, Regni Cancellarius. Eleonoram Catharinam duxit Fridericus Hassiæ Landgravius fraude atque dolo in nupero bello adversus Sarmathas, ut infra narrabimus, occisus. Principem Adolphum, Johannem armis pro Fratre Rege indutum supremum militiæ Imperatorem videbimus.

A. 1664. *Relatio Spener.*
 p. 207.
 part. 1. p. 184.
 part. 2. p. 174.

CAP. II.

Natiuitas.

Natus est Carolus Gustavus Anno à nato Christo millesimo sexcentesimo vicesimo & altero, die Novembris octavo Nycopiæ in Svecia, terrâ quæ quidem frigoribus ea præcipuè anni tempestate riget, sed habitum corporum laboris atque operum

rum validum format, animosque corporibus similes, calore immodicè in artus dilapsuro coërcito, ad fortitudinem incendit.

2 Infanti cognomen Carolo Gustavo inditum est, in memoriam honoremque majorum partim ab Avo, partim ab Avunculo sumtum, vel in omen futuræ magnitudinis nominibus à maximis hujus gentis Regibus accersitis; sicut etiam Poëta docet, quisquis hoc Epigramma fecit:

Carole Gustavi, quis te cum nomine nescit

Ingens Augusti nomen habere simul?

Carolus Augustus, Gustavus nomina Regum

Sunt hæc & Magnis propria Cesaribus.

CAP. III.

Educatio.

18 **E**X pueritiâ ad ætatem firmiorem properans enatare, missus est Upsaliam antiquam, seculo tamen præterlapso demum exornatam Academiam, postea viris doctrinâ atq; famâ clarissimis undiq; accitis celeberrimam, ut talibus Magistris atq; Rectoribus adolesceret, qui si quâ in parte lubricum adolescentiæ declinaret, revocarent, ornatumque robur subsidio impensius regerent. Ab his morum præcepta imprimis accepit, eademq; aut salubrius observata, aut turpius seu perniciosius spreta neglectaque in monumentis veterum atque recentium præcipuis dignoscere ac enotare didicit. Ex Hugonis Grotii libris jura armorum cognoscere pacisque voluisse fertur, atque jam imperio præditus in tantâ mole rerum non minus curiosè legisse, indentidem liquere falsus, quæ obscura & involuta aliquando transisset. Mathematicas disciplinas Summorum Principum exemplo, ob plurimum pace & bello usum, mirè dilexit, in cæteris curiosis magis quam utilibus principi, justum modum tenens. Hac ratione cum naturâ insitas animi dotes expolitiores redderet, ad exercitationes campestres subinde convertebatur, quibus vires & pernicitatem auget, corpusq; ad omnem virtutis patientiam duraret. Hinc hastam vibrare, indomitos ferocesque eqvos in gyrum cogere, certo ictu destinata ferire; aliquan-

ligvando disponere cohortes, instruere aciem, flectere, incurva-
 re, mox lunatam dare, mox ovatam, hortari quasi cum hoste di-
 micaturam. Sæpe per ludos, quibus inter nobiles pueros for- 6
 tē Magistratus dividuntur, omnium suffragio extra sortem Re-
 gem electum accepimus. Formā enim erat eximiā, & venustā. 7
 Oculi clari & nitidi, os paulo plenius, decor vultus cum qua-
 dam majestate studia & voluntates hominum occupabat. Sta-
 tura justa, membra mascula, universum corpus solidum, nervo-
 sum, & quanquam cum ætate pingvius, ad quosvis ausus prom-
 tissimum. Adolescentiæ autem partem inter arma transigere, 8
 Pater eū voluit, ut militiæ assuesceret, exercitus studia pararet, &
 procul aulæ ceremoniis inanibusque oblectamentis educaretur.
 vid. Brachel. Prima igitur castrorum rudimenta in Germaniā Torstensohnio, 9
 l. 6. Histor. strenuo belli Duci, approbavit, quem Bannerius ante mortem,
 Nostr. Temp. rogatus, ut dignum exercitui suo successorem nominaret, opti-
 in Ann. 1641. mum judicavit, Senatoresque regni Sveciæ ratum habuere. Nec 10
 five quod Carolus Gustavus more quorundam Illustri genere natorum,
 perinde est, qui militiam in spectaculum vertunt, neque segniter ad titulum
 Job. Cluveri aliquem militarem & inscitiam retulit sed noscere terras, nosci
 Epitomes Hi- exercitui, milites benignè appellare, in operibus in agmine atque
 storiarū Ap- in vigiliis multum adesse, discere à peritis, sequi optimos, nihil
 pendicē l. XII ad fortitudinem recusare, sæpe à parvarum manuum conflictu
 que tota à victor redire. Sanè ingenti tunc alacritate bellum Torstensoh- 11
 lib. XI. ad nius è Sveciā irruens, circumtulit. Decursā repente Saxoniam in 12
 XIV. ad ver- Lusatiam, ac deinde Silesiam perripit. Glogovia major licet
 bū transcri- permunita & instructa videretur, ut posset obsidionem diutur- 4
 pta est è Bra- nam non armis tantum, sed & munimentis alimentisque susti-
 chel. lib. 5, 6, nere, eodem die & obsessa & capta. Cæsi Cæsariani; Svidni- 13
 7, 8, & 9. Hi- zium, Nissa Episcopi Uratislaviensis sedes, & tota propè Sile- 5
 storiarū no- sia subacta. Flexo inde in Moraviam itinere, præter cætera op- 14
 stri Temporis pida Olmicium caput Moraviæ expugnatum. Brinnā acerri-
 & sine men- mē quanquam frustra tentata. Deinde reversione in Misniam
 tione Aucto- factā, Lipsia obsidione pressa, & auxiliis à Cæsare submissis
 ris Romane profligatis in deditioem accepta. E Germaniā in Molsatiam 15
 Religioni ad- atque Daniam incredibili celeritate copiæ traductæ; plurimæ 7
 dicti, licet - - - - - urbes.
 satis candidi, Historiarum scriptori orthodoxo aliquando malè coheret.

urbes uno velut impetu, vi, dolo, aut deditio[n]e interceptæ &
16 occupatæ. Quæ cuncta artem, usum & stimulos addidere Ca-
6 rolo, intravitq[ue] animum militaris gloriæ cupido, gratissima
7 temporibus, quibus nullus Sveciæ Rex, Reginâ ætate ad impe-
randum immaturâ, nec alii regiæ familiæ necessitate tantâ con-
17 juncti. Hinc in Sveciam regressus, dum Torstensoh[n]io ex Hol-
fatio in Germaniam reduci, atq[ue] rebus multis præclarè gestis,
ob valetudinem labori & audaciæ inhabilem, munere suo ab-
eunti, successor Carolus Gustavus Wrangelius datus, bellum
prosperè trahebat, supremus militiæ Svecorum Imperator con-
sensu Reginæ administratorumq[ue] Regni præficitur.

CAP. IV.

Acta ante Imperii occupationem.

1 **Q**uare in Germaniam ire contendit, assumtis quos in sup-
2 plementum copiarum distribueret. Hærebat tum ad Pra-
gæ partem, quam Urbem veterem vocant, cum novâ mœnibus
quidem olim suis circumscriptâ, hodiè in unum quasi corpus
coalitam, Königsmarckius; nam parvam urbem cum arce,
Multaviâ flumine avulsam, & ponte ex quadrato saxo cum ve-
3 teri & novâ conjunctam summo manè, incuriosis vigiliis, ipsâ
festinatione discurrentium, suosq[ue] ad arma vocantium, ingen-
tem terrorem incutiente, subito interceperat. Obsessi, qui-
bus Comes Buchheimius copiis suis opportunè auxilio accurre-
4 rat, impetus oppugnantium obinopiam militum providos magis
quam importunos, facilè sustinebant. Sed cum Carolus Gu-
stavus, quarto Octobris anni millesimi sexcentissimi quadrage-
5 simi octavi superveniens in obsidionem se jungeret, crebriores
validioresq[ue] aggressiones fuere. Mœnia tormentorum pul-
6 sa ad passus ferè sexcentos nudavere spatium, quod Pragenses
raptim obstructis saxis refecerunt; interiora quoque munimen-
7 ta, ut, si priora fefellissent, illis se tuerentur, undiq[ue] orsi. Cu-
niculi quoque & insultus non sine obsidentium detrimento de-
clinati aut repulsi. Vicisset tamen, credo, ad ultimum jam tres
menses urbi instantium pertinacia, deficientibus quibus oppi-
dani ad tuendum se uterentur. At pacis Monasterii inter am-
B biguas

biguas difficillimasque partium contentiones initæ, nuntius
repentè inhibuit, bellique incendium, ubi elapsis triginta annis
fere cœperat, & statim validum universam Germaniam corri-
puerat, quodque jam reversum, quasi quæ reliquerat, resumturum
erat, est extinctum. Carolus, quanquam meritis suis non eun- 8
dem in pace, qui bello, locum fore, præventamque fortunam,
suam intelligeret, multorum tamen salutem gloriæ studio haud
ægrè prætulit. Ipse itaque anno sequente quadragesimo nono 9
Norimbergam concessit, ut ea, quæ ad pacem consummandâ re-
starent, cum Legatis Cæsaris Statuumque Imperii perficeret.
Quibus prudenter feliciterque peractis in Sveciam est profectus, 10
ad coronationem Christianæ, quæ Stokholmia in adventum ejus
parabatur. Incessit extremo Septembri anno quinquagesimo 11
seculi, densissimo lætissimoque extra urbem quoque obviorum
primorum in regno virorum agmine, super fausta nomina, Do-
minum ac Imperatorem, pacis ac salutis publicæ Restitutorem
appellantium.

CAP. V.

Modus ad Imperium perveniendi.

Cum mox die ad id delecto diadema Reginae congregatis o- 1
mnibus Regni ordinibus esset impositum, in commune
consultum est. Inter cætera etiam ad matrimonium sollicita- 2
runt Regnam, cui Carolum Gustavum jam pridem destinave-
rant. Sed ipsa DEO & patriâ coram est professa, *nunquam in* 3
animo habuisse se conjugii permittere, nec posthac permissuram. Cæ- 4
terum prudenter facturos, quoniam magnis conatibus opportuni
sunt transitus rerum, si pravas multorum spes cohiberent. Darent 5
successorem quem exoptarent, Palatinum amitinum, ferre se etiam
Imperii consortem, quàm maritum malle. Ita Carolo Gustavo 6
regnum Sveciæ & successio etiam ad posteros masculos protensa
obtigit. Factum est super eâ re decretum, cumque in id Princeps 7
consensisset, actis Regni Comitibus insertum hunc in modum:
Meminerit Regina summum rerum iudicium, sibi suisque obsequii atque 8
observantiæ gloriam esse relictam. Non sumeret, sed exspectaret Im- 9
perium, & ut Regina nihil quicquam, quod Principem sibi successo-
rem

rem destinatum dedecet, negotii daturam promiserit, sic vicissim ipse non bella susciperet, non pacem, non fœdera iniret, neq; alia, quæ publicam salutem concernant, aggredere, nisi Reginâ atq; Senatoribus Regni volentibus. Nec ipse neq; sui provinciam aliquam in patrimonio dari unquam postularent; sub unius imperio coadunatæ regiones consisterent, sufficeretq; quicquid Regina cum Ordinibus Ipsi, Conjugi ac liberis in dotem ac sustentationem ex facultatibus ararii decreverint. Bona privata si obtingerent, eodem quo ceteri Nobiles jure haberet, nec minùs præstaret, quæ inde in publicum redundare constituta sunt. Reginâ fato functâ, ditiones ab exteris fortè oblatas non acciperet, si in Sveciâ Regia sedes ob eas sit omitenda. Consilia Matrimonii cum Reginâ atq; Senatoribus agenda, neq; querenda Conjux nisi immutatæ Augustanæ Confessioni addita, quâ si quos tollat liberos, etiam institui curaret. Summam Imperii olim consilio Senatus gereret, & ad Leges Imperii moderaretur. Omnibus Regni Ordinibus cultum Religionis Evangelicæ, ut Augustanâ Confessione complexum. Concilium Upsaliense receperit, integrum servaret, nec jura ullius, libertatem, atq; immunitates tentaret. Matrem Regine, Mariam Eleonoram, comiter habendam, & quæ filia eidem largita esset bona, relinquenda confirmandaque. Denique observanda omnia, quæ in Gustavi I. Regis testamento atque unione ab hereditariis Principibus pro salute Regni exiguntur, quæq; antecedentibus Regibus ex juramento & obligatione suâ aut permisâ, aut negata. Ex illo tempore Carolus non minùs de commodo Regni sollicitus fuit, quam si gubernacula Reipubl. moderaretur. Pleriq; credunt militaribus ingeniis consulendi subtilitatem deesse, quia militia plura manu agens calliditatem consiliorum non exerceat; Gustavus in Senatu naturali, & quam doctrinâ comparaverat, prudentiâ, dextrè ac facilè de rebus judicabat. Deinde Regiones integras peragravit, locorum situs, fertilitatem, populorum indolem explorans; quid deesset singulis, quâ parte in melius mutari possent, secum reputavit. Per omne iter officiis faustisq; acclamationibus subditi certarunt, dum quisq; benevolentia apud Principem alios anteire optaverat. Illi vero nec familiaritas auctoritatem, nec severitas amorem diminuit.

Regni occupatio resignante Christina.

Quartus inter hæc currebat annus, cum Christina Imperium 1
 septem annis gestum se fastidire in publico fateri decre- 12
 verat. Itaque Proceribus Regni & reliquis Ordinibus convo- 2
 catis, diu, ait, animo cogitasse, ut humeros suos tantâ regni mole
 fessos, subtraheret. Fecisse etiam secreti participes fide atq; pruden- 13
 tia sibi notos, qui quòd hæctenus tacuisset, svasionibus suis retinuis-
 sent. Jam verò neq; sibi ipsi, neq; aliis amplius dare posse, ut justâ 3
 deliberatione decretum exequi cunctetur. Gravescente indies vale-
 tudine mox se Reipubl. imparem atq; inutilem futuram. Malle igitur 14
 imbecillitatem ante ultroq; fateri, quàm dissimulando in eam videri
 incidisse: Cumq; Medicos, quos ad internoscenda corpori suo utilia
 vel noxia adhibeat, diu experiatur opem ferre non posse, restare
 remedium unicum, in quo omnem spem salutis reliquam reposuerit,
 iter ad externos. Decedere ergò omni velle Imperio, ut sicut aëre 5
 mitiori, ita animo curis vacuo vitam traheret. Ab hæc suâ sen- 6
 tentiâ non precibus, non lacrumis, quæ plebi pariter ac Proceri-
 bus manasse feruntur, dimoveri Regina potuit: sed ultra pro-
 ventus, qui ad Carolum regni hæredem redierant, ex vectigali-
 bus decem Imperialium nummum myriadas in annos singulos,
 pro necessitate ab illis pactâ, die ad id indicto XVI. Calend. Quin- 1
 til. An. M.DC.LIV. ab Orbe Redempto, insignia regni posuit. 2
 Diadema Capiti detractum Petrus Brahe Regni Satrapa accepit, 7
 gladium Lariffæus Claga, Ensiferi absentis partibus functus. 3
 Maris Imperatori Oxenstirnio sceptrum, Hermanno Flemmin- 8
 gio Baroni, dum vicem ageret thesauro præfecti, auream cla-
 vem tradidit. Togam regiam talarem abstulere duo Regii cu- 9
 bicularii, accedente tandem Regni Cancellario, ut orbem aure- 4
 um cum cruce sumeret. Quibus insignibus in quâdra ante Re- 10
 gem per quinque viros dispositis, Regina habitu Virginis re- 5
 ctâ assistens consilii rationem oratione ad Proceres repetiit. 6
 Cui ut omnium nomine Rosenhanes cum decore ac gravitate 11
 respondit, illa ad ultimum Successorem appellans, DEUM immor-
 talem precata est, ut felix faustusq; hic dies, regno juxta, atq; Regi
Nepo-

Nepotum carissimo illuxerit ; ejurasse Imperium , reliquum infirma
valetudinis tempus in peregrinatione consumpturam. Ipse se vivâ
Regnum capeffens memor beneficii, auspicio suo atq; ductu res gereret
12 feliciter, absentemq; etiam amare pergeret. Hæc oranti animum
Carolus, vultu gestuq; ad præsens composito, prodidit, conver-
susq; ad Proceres disseruit sermone de muneribus Regiis pru-
denti, de se moderato, nihil in vultu habituq; mutatus, quasi
13 imperare posset magis quam vellet. Posthæc è senatu per di-
spositos honoris & pompæ causâ milites civesq; in templum,
3 itum est, ubi Sacris factis Lenæus Upsaliensis Episcopus pro mo-
re unctum insigni Regio evinxit. Hinc in arcem reduxere.
14 Per vias, quas vulgus circumsteterat, sparsinummi ex auro ar-
4 gentoque, unâ superficie Regem subscripto nomine referebant;
alterâ effigiem heroinæ, quæ armato diadema imponeret, adje-
ctis jussu novi Regis vocibus Reginae beneficium memoranti-
bus : A DEO ET CHRISTINA. Cæterum læta ea dies ser-
5 monibus, cantu atq; epulis fuit.
6

CAP. VII.

Christinae itinera, Religionis Nomi- nisq; mutatio.

1 **P**ostero à meridie circiter horam tertiam in fidem atq; obse-
quia Regis jurarunt singuli, manumq; osculis venerati dis-
2 cesserunt. Et Christina, quæ ea omnia è fenestrâ prospexerat,
iter ingressa est die vesperscente, Rege ipso cæterisque Nobi-
3 lium ad mille passus prosequentibus. Posthæc paucos intra
Sveciam dies commorata Hamburgum contendit, dein Ant-
4 verpiam. Hinc ubi Bruxellas venit, ejuratâ religione patriâ
Ecclesiæ Romanæ consciis paucis se mancipavit. Quam com-
5 mutationem solenniter testatura Romam perrexit. In iti-
nere Mariæ Lauretanæ Imaginem auream, coronam & sceptrum,
6 lapillos etiam pretiosos nuncupavit. Posito insuper nomine
veteri, Pontificis Maximi simul imitans, appellari voluit Maria
Alexandrina. Atque ita cum Regno, animo & nomine abje-
ctis urbem intravit. Splendidè excepta habitaque est ab Ale-
xandro VII. Pontifice Maximo, cujus pedes osculo contigit,
B 3 quem

quem, cum adhuc Fabius Chisius esset, paci Monasteriensi nomine Innocentii X. prælicenter obnitentem, unâ cum cæteris contemserat. Ex Italiâ anno 1657. in Gallias venientem peregrinandi gratiâ, Rex absens Parisiis magnificè jussit accipi. Ipsa Fontebellaquei aliquamdiu degens Marchionem Monaldecium à secretis sibi consiliis, quòd quæ tegenda fuerant, divulgasset, peccata confiteri jussum sacerdoti, per alium Italum sicâ trucidavit. Cæterum contemptum illum Regni & Religionis tradere j. Et antius Scriptores solent, qui Pontificias partes tenent, quàm ad Historicos; nec sine aperta in Lutheranos insectatione: Vim de cælo menti illapsam à Regno vocasse, ab hæresi ad veram religionem: damnationi ereptam in libertatem asseruisse. Contra alii queruntur, omnis ætatis ac memoriæ clarissimam, Reginam, Virtute Regibus maximis parem, tantâ laude à doctissimis ejus ætatis hominibus cumulata, minis tamen constantè propositi, etiam cum rectum erat, artibus primum Bourdelotii Galli; deinde Antonii Pimentelli Hispani, quos inter intimos amicorum habuit, à cogitationibus melioribus, à regno, à fide tandem majorum deductam esse. Sed nobis hæc atque talia audientibus in incerto judicium est, causamne sprete Imperii in vulgus notam facilius omnes ii commemorarint, an idoneis auctoribus prod derint? Volunt etiam pœnitentiâ Regni relictæ, non ut patrimonium tantum curaret, in Sveciam mortuo Carolo Gustavo anno 1660. Româ per Germaniam & Daniâ inter eximios omnium cultus regressam. Sanè si successorem Caroli Gustavi filium immaturâ morte præripi contingeret, ad se aut Regem Polonorum jure devolvi Sveciæ Imperium, ad Senatam retulit. Verum responsum est à Proceribus: iniquè repeti, quòd spontè in alios collatum est; Neminem sibi jure in Sveciam notum, præter unicum Caroli Gustavi filium, hæredem Regem suum, quo absque virili prole extincto, quod omen quidem Deus prohibeat, penes se arbitrium fore, quem Regem accipiant. Neque alimenta, quæ promiserint Regno decedenti, eadem dare amplius obstrictos fuisse, quando Religionem in Deum avitam Romano cultu mutaverit. Neque leges Reipubl. suæ, quas noverit, ferre ceremonias Papisticas, qui-

quibus in oculis hominum licentius consensu ipsi Regina luda-
18 tur. In his cum constanter Proceres consistere Regina videret,
19 ad ultimum omne in regnum Svecorum jus ejuravi. Quan-
20 tum ad alimenta, æqua placataque discessit anno sequenti 1661.
21 Hamburgum, & altero Romam rediit. Iterum sexagesimo
22 sexto anno ab urbe profecta aliquamdiu Hamburgi substitit,
23 donec rationem adventus à Svecis approbari comperiret. Hinc
24 anno sexagesimo septimo ad Norkoppingam usque urbem, quin-
25 decim miliaribus Stokholmiâ distitam progressa accepit lite-
ras. Ex quibus cum se quidem gratam omnibus venire intelli-
geret, comites solos, quos secum duceret, Italos & Monachos
molestos fore, mox excessit Regno. Apud Hamburgenses
autem per annum ferè remanens, anno sexagesimo octavo ver-
gente tertium Romam concessit. Neque eam hæcenus omi-
sit, quanquam continuus aspectus minus verendos magnos ho-
mines ipsa satietate solet facere. Hæc, ut quæ de Christinâ no-
bis constabant, perficeremus, injecimus, nunc interruptam Ca-
roli historiam pertexemus.

CAP. VIII.

Acta Caroli occupato Regno.

1 **I**S principiò Regni Conjugem quærebat, prosperis dubiisque
2 sociam, utque numero liberorum Imperium firmaret, cujus
3 non legiones, non classes perinde firma munimenta sunt. Placuit
4 Hedviga Eleonora, Illustrissimis Natalibus, Holsatiæ Friderico
5 Duce Schlesvicensi orta, Potentissimi Saxonum Electoris, Johan-
6 nis Georgii II. ex sorore Mariâ Elisabethâ neptis, amore in Re-
7 ligionem Evangelicam, in qua à teneris instituta erat, sanctimo-
nia atque virtutibus sexum suum ornantibus incluta. Cuncta
nuptiarum solennia referre omitto, aliis memorata. Posthac o-
mnem curam atque operam in Rempubl. convertibat. Lega-
ti à Cæsare & Brandenburgico Electore auditi. Missus è
Sveciâ ad Roxolanorum Principem in Moscoviam, qui ejus a-
nimus de Careliarum, Ingermanniæ ac Livoniæ finibus explo-
raret, & ad amicitiam sollicitaret. Milites lustrati, & solutis sti-
pendiis in obsequium pellecti. Sapientiæ cum humanæ tum
divi-

Conjugium.

*Thuldenus in
ann. 1654.*

*Regni ador-
natio.*

Bellum Polonicum.

divinæ studia munificentiam excitabantur. Ita dum Regnum, 8
paci artibus parabat condere, ad bellum mox in Sarmatiam vo-
cabatur. Cujus causas atque progressus antequam exponam, Re-
gionis situm populosque referam, non ab ultimam quidem re-
rum memoriâ ordiendo, sed recentiori, & ad præsentem usum
aptam.

CAP. IX.

Poloniae descriptio.

POLONIA inter amplissima regnorum, quæ Europa continet, 1
spatio ac cælo in Orientem Borystheni fluvio, in Occiden-
tem flexuola Silesiæ, Marchiæ Brandenburgicæ & Pomeraniæ ob-
tenditur. Ad meridiem montes Carpatici ab Hungariâ sum- 2
moventes surgunt; Septentrionalia ejus nullis contra terris ma-
ri Balthico pulsantur. Terra, etsi subinde sylvis paludibusque 3
obsessa maximam tamen partem plana & æqua, patiens frugum,
ferax apprimè frumenti, ex quo magna copia pro usu extero-
rum quotannis redundat; ut & Ægyptus Europæ, ac imprimis
Belgii horreum Polonia dicatur. Pecorum quoque fœcunda 4
est, & armenta non aliunde proceras magis in Germaniam agun-
tur, quàm in Podolia, ubi tanta pratorum ubertas est, ut boum
cornua vix è graminibus emicent. Mel nusquam melius & sin- 5
cerius, quàm in Samogitiâ reperitur. Ipse sylvæ his abundant o-
pibus, cum stipitibus cavatis mella passim promantur. Pla- 6
nitiam Poloniæ crebri distingunt lacus, fluvii, rivi que affatim
piscosi. Nec summa tantum terræ laudanda bona, verum & 7
abstrusorum mineralium metallorumque felices divitiæ. Sa-
lubritas cœli per omnes ferè provincias optima, quia ventis à
Septentrione frigidioribus eventilato spiritu terrestri præcipua
hominibus sanitas redditur, nisi quòd acris spiritus alicubi, gra-
vi paludum nebulâ inficitur. Positio cœli corporibus ex se 9
validis & plerumque proceris habitum dedit. Eorum sacra 10
deprehendas varia. Plurimi potentissimi que Romanæ Ecclesiæ
ceremoniis sunt devoti. Nec ulli genti veneratio in Pontifi-
cem & ejus sacerdotes major. Cæteris dissidentium nomine 11
habitis, Lutheranis Calvinianisque, cultus divinus lege publicâ
con-

8
12 conceditur. Soli Ariani, quibus idem erat integer, probrofi
in S.S. Trinitatem Christumq; Deum maledicti aperte rei, vene-
numque opinionum licentius in multorum perniciem spargen-
13 tes, regno ejecti. Russi multi Græcorum dogmata sequuntur,
à Moscorum tamen ritibus & opinionibus admodum diversi.
14 Judæis magno numero per totum Regnum dispersis, & supersti-
tio, & mercimonia liberrima; imò & quòd vectigalia pleraque
conducant, Christianos opibus emungendi effrenis licentia, quæ
15 & ipsa Cosaccos nuper ad defectionem impulit. Sermo origi-
ne fortè Vandalicus, aliquando Græcis, Latinis Ungaricisque
vocibus parùm inflexis mixtus. Barbarum autemant, qui tres
quatuorvè consonantes literas duriores unâ vocali animari vi-
16 dent; At non ingrato sibilo à fœminis, politioribus præsertim,
prolatus auditur. Gallorum linguam multi Nobilium, plures
17 Italorum, ad quos crebris peregrinationibus meant, addiscunt.
18 Latinam tantùm non omnes, etiã plebeji, saltim ut intelligas,
loquuntur. Sincerè cum iis, quorum fidem experti sunt, agunt.
Urbanitate domesticâ versumque peregrinos Hesperia Polo-
19 niam præfert Lipsius. Pecuniam olim probam superioribus tem-
poribus corrumpere cœperunt monetalis Regii, enormia ex eâ
lucra detrahentes, dum nummos ex argento in novos & vilio-
res recuderunt; ut hodiè non nisi ex ære majori parte & exiguo
immisto argento confusi, imò innumeri ænei negotia cum vici-
20 nis oppidò remorentur. Provincias univèrsam Regnum de-
cem complectitur. Poloniam Majorem Lechus I. Polonorum
21 Princeps nominavit, cum in eâ Gnesnam, à nidis aquilarum ibi-
dem repertis appellatam, sibi sedem constitueret. Hinc reli-
quæ eo tempore terræ Poloniæ Minoris nomen remansit, quan-
22 quam mox hujus caput Cracovia Cracum conditorem successo-
resq; incolas acceperit, diutissimèq; retinuerit. Lituaniã,
Samogitiam, Russiam, Jagello Magnus Dux Lituaniæ, cum
gentilium superstitione relicta baptismum susciperet, Uladi-
slaus dictus, ducta Hedvvigâ Polonorum Reginâ, anno 1386.
24 Poloniæ junxit. Podalia regio est amplissima, cujus partem
25 hodiè Ukrainam vocant. Volinia inter Lituaniã & Russiam
26 porrigitur. Malovia extinctis Ducibus superiori seculo ac-
cessit,

Vid. Bodin.

*lib. 5. de Re-
publ. c. 1.*

Thuan. lib.

56. Histor. in

ann. 1573.

cessit, à quo tempore urbs ejus primaria Varſavia situs oppor-
tunâ amœnitate Reges Cracoviâ avocatos detinet, Comitibusq;
frequentatur. Livoniæ pars Australis, & in eâ Curlandia, ad- 27
ditâ Semigalliâ Principi è Teutonicis in feudum concessa, ad Po-
lonos spectat; reliquam partem Borealem Svecus tenet. De 28
utrâque tamen Moscus aliqua Svecorum, plura Polonorum de-
trimento decerpſit. Prussia universa alia Regalis est, quæ Re- 29
gi Poloniæ paret; alia Ducalis, Marchionibus Brandeburgensi-
bus superiori seculo jure feudi hæreditarii relicta. Cæterum, 30
provinciæ in Satrapias, hæc verò in districtus seu territoria, atq;
hæc in præfecturas, urbes vel oppida distribuuntur. Satrapiis 31
præsunt Palatini, à quibus etiam illæ Palatinatus vulgò vocantur.
Palatinorum autem Cromerus, clarissimus rerum Polonicarum 32
auctor munera recenset, bello; ducere copias suæ Satrapiæ; in-
de nomen habere lingua vernacula Woyewodarum seu ducum
belli: Pace; Conventus Nobilium instituere iisque & judiciis præsi-
dere. Palatinorum quasi legati sunt Castellani, Ductores & 33
Præsides Nobilitatis sub suo quisque Palatino. His succedunt 34
alii Magistratus sive Officiales (ut vocant) terrestres, quorum
aliqui præter ipsum nomen vix aliquid habent muneris. Uni- 35
versa Gens in Ecclesiasticos, Nobiles, & plebem dividitur. Ec- 36
clesiastici copiâ & libertate Regno graves, summum in Republ.
gradum tenent, interque eos excelsissimus ArchiEpiscopus Gnes-
nensis (Primates Regni vocant & Legatum natum sedis Apo-
stolicæ) nullo Rege, comitia indicit, Senatum convocat, decre-
ta exequitur. Sequuntur Nobiles, qui quidem magnâ liberta- 37
te viventes tributa nulla pendunt, militiam tamen pro patriâ
ipsi propriis impensis tolerant. In singulis Satrapiis iidem 38
congregati Legatos, seu ut appellant, nuncios terrestres legunt,
quos ad comitia amittunt. Plebs urbana mercimoniis, raro o- 39
pificiis, quæ potissimum Germani in regni finibus exercent, a-
griculturæ quoque vacat; Rustica antiquo servorum jure cense-
tur. Lites incolarum ad Jus Saxonicum sive Magdeburgense 40
Constitutiones Regni aliaque statuta provincialia componuntur.
Summorum tribunalium, in quibus Nobilium causæ disceptan- 41
tur, Petricovia & Lublinum, sedes est. Militiæ robur omne in 42
equi-

43 equitibus. Centum millia Nobilium semper in procinctu stant 3
qui semel iterumq; à Rege convocati, ad tertium edictum suo
44 quisq; se Palatino sistunt. Id expeditionis belli genus Pospo-
liti Ritzstunec vocant. Alit & Respubl. alium decem ple-
rumque, sæpè etiam quindecim millium exercitum, ex nobilis-
simâ Sarmatiæ juventute lectum, in quo militantes Quartiano-
rum nomen habent, quod stipendium statis quatuor anni tem-
45 poribus è quartâ vectigalium parte accipiant. Iis fines Regni
adversus incursiones Moscorum, Tartarorum, Turcarumq; cu-
46 stodire datum. His annumerandi Cosacci proprium Poloniæ
militiæ genus, non gentis vocabulum, à Polonicâ voce Koza di-
cti, quæ capram notat, à velocitate fortassis, nam celeres sunt ac
47 levis armaturæ milites. Stativa habent in Insulis fluminis Bo-
rylthenis, quæ Saporoiæ dicuntur, Tartarorum Tauricanorum
48 populationibus opposita. Omnes Poloni sunt, aut ex provin-
ciis subjectis. Sine Duce certo quondam latrocinii magis more,
49 quàm ex justis belli legibus pugnabant; sed ex quo Stephanus
Poloniæ Rex dato Duce legibusq; in legitimæ militiæ formam
composuit, Ducem suum à Regibus Poloniæ accipiunt, mino-
50 res Præfectos ipsi legunt. Hi propriè Cosacci sunt, ad quorum
similitudinem quotquot in regno Poloniæ levi armaturâ mili-
51 tant, eodem nomine vocantur. Levi illi stipendiò strenuam
militiam Polonis semper commodarunt, donec variis injuriis
52 exasperati hostiles spiritus induerent. Ab illo tempore Cosac-
cos habet Polonia infestis armis aut dubiâ amicitia metuendos.
53 Arma, quibus bellum gerunt Poloni, cominus ferientia sunt.
frameæ incurvæ, sive acinaces, hastæ, unde milites hastati Hussa-
ri dicuntur; clavæ, quas myrtilla ferrea vocat Sulicovius, Obuch
sive Scheckan Poloni. Frameæ tantâ præditæ esse solent acie,
54 ut loricas galeasq; facile diffindant propemodùm illæsa. Emi-
nens sagittas arcu mittunt, nec rarò hodiè tormentis majoribus
55 & sclopis, quales sunt Carabini & Pistolæ, utuntur. Omnium
in depascendis periculis ingens audacia, & ubi advenere, in de-
56 tractandis eadem cura. E prælio dilapsi circumactis strenuè
equis velocibus rursus redeunt, sparsosq; & incompósitos fidu-
57 ciâ victoriæ hostes ingenti cæde prosternunt. Peditatum, cum

opus est, ex Germanis & Hungaris conducunt. His viribus ho- 58
stium vicinorum potentissimos, Moscos Tartarosq; à suis fini-
bus, & à Germaniâ jam dudum Mahumedanos arcent. Regem 59
haud facile sumunt ex indigenis, (quanquam defuncti Regis
prolem non sane negligent) veriti ne inter arctâ propinqui-
tate conjunctos muniis Reipubl. præcipuis divisis, æqualitatem
Nobilium tollat, hisq; munimentis insitens insurgat paulatim
munia senatus legumq; in se trahendo, libertatemq; dolo, tan-
dem & armis victam in dominationem vertendo. Nec enim 60
Regi infinitam aut liberam potestatem esse volunt. Quare Se- 61
natum ei addunt ex ecclesiasticis & secularibus omnium provin-
ciarum delectum. Prætereâ cum comitia habentur, Nobiles 62
nunciis suis terrestribus partes deferunt, qui Regi atq; Senatu
subinde adversi spatium sex hebdomadarum comitiis præfinitum
turbant litibus, ut omnes pari consulentes auctoritate,
sententiâ dispares, nihil salutare constituent. Hi itaq; nisi cum 63
Rege atq; Senatu consentiant, non fœdera sanciri, non tributa
imperari, non bona ulla à Regno divelli, non equites creari pos-
sunt, neq; quicquam, quod salutem publicam concernat, decer-
nitur. Rex tamen Episcopos & Abbates nominat, Palatinos 64
Castellanos, Mareschallos, Cancellarios, Thesaurarios, Duces
Militiæ constituit, redditus dispensat, præfecturas distribuit, Co-
mitia indicit, judices eligit. Munera verò ista solis Polonis, 65
nec hodiè facile aliis quam Romanæ Ecclesiæ hominibus dan-
tur, ut Sigismundi III. Regis consilio vincantur cæteri, hono-
rum aditu & spe præmiorum regionum cautè præclusâ. De 66
Reipubl. formâ ipsis hujus gentis Scriptoribus dissentientibus
difficillimum judicium. Simon Staravolscius* atq; Martinus 67
Cromerus † è tribus primis Reipubl. formis miscent, Principa-
tum Regem, Senatum Optimates, Nobiles cæteros Plebem,
cujus quasi tribuni sint nuncii terrestres, referre rati. Idem a- 68
liquando cum Reipubl. Lacedæmoniorum veteri, mox quæ est
hodiè Venetorum, contendunt. Thomas Lansius nec Regnum, 69
nec Regem Polonis esse ait, sed merum Oligarchicum Regimi-
nis genus, fucatâ Regni specie & inani Regis titulo adombra-
tum. Principatum Aristocratiam mixtum alii judicant. Sapienter 70
Trajanus 71

*in Descript.
Reg. Polon.
pag. 81.
† lib. II. de
Republ. Po-
lon.

58 Trajanus Boccalini: Non solo il censore, ma il sacro collegio tut-
59 to de virtuosi perececente amifero la giustificatione della Mo-
narchia Polacca.

CAP. X.

Semina belli Polonici.

1 **I**Nter potentissimã hanc Polonorum gentem Svecosq; antiqua
2 **L**eã tempestate odia in funestissimum bellum erumpebant. Po-
60 loni año præterlapsi seculi octuagesimo septimo Regem è Sveciã
61 petitum acceperant Sigismundum III. Johannis Svecorum Regis
62 filium, sorore Sigismundi Augusti Polonorum regis, quam in
3 matrimonio habebat, natum. Eidem Parens fato functus Re-
4 gnum Sveciã reliquerat. Ad id autem capeffendum iturus
Polonis promissum jam olim factum repetebat, non se Poloni-
5 am sedem suam migraturum, addens insuper intra annum rever-
6 ti velle. Itaq; administrationem Regni Sveciã suscepti patruo
7 Carolo Duci Sudermanniã commisit in Poloniam rediens. Sed
8 ipse deinde religionem Romanam, quam amplectebatur, in
9 patrias terras reducere tentabat, alia præterea, quæ pacta veta-
10 bant, molitus. Quibus Sveci moti Sigismundum excidisse Im-
11 perio dicentes Carolum initiò Governatorem, & post Regem
12 pronunciarunt. Inde bellum inter utramq; gentem, poscente
Sigismundo Regnum hæreditario jure traditum, quo pulsus e-
rat, tuente novo Rege, quod ordines Regni dederant. Acce-
ptum à Patre bellum contra Sigismundum Gustavus Adol-
phus prosperè proferebatur in Livoniã atq; Prussia, donec an-
no 1629. induciis in quinquennium pactis fisteretur. Novi ali-
quos referre ante inducias biennio, armis Gustavi Adolphi Si-
gismundum coactum renunciare juri in Sveciam, quod tamen
nihil ex vero habere autumo. Sigismundus enim auxiliorum
ab exteris quibusdam largè promissorum spe eo etiam, quem di-
xi, anno, ægrè bellum induciis differri patiebatur, nec nisi mul-
tis à Senatu precibus victus cedebat. Eodem deinde mortuo, anno
1632. quo ipso, sed aliquot post menses, occubuit Gustavus A-
dolphus, Orator Svecorum in comitiis novo Regi Polonorum e-
ligendo institutis persvadere conabatur, ne Regnum uni filio-

Georg. Horn.
in Orb. Polit.
part. 1. p. 106.
& ex eo ad
verbū auctor
Europa vi-
ventis part.
2. p. 47.
Paul. Piase-
cius in Chro-
nic. ad annū
1629. Stanisl.
à Kobyer Zy-
cko in hist. U-
ladisl. L. 11 p.
926. Brachel.
lib. 3. eod.
anno.

Piascius
pag. 452.

pag. 480.

ad annum
1635.

rum defuncti Regis deferretur, n̄ h̄ereditatem Regni Sveciæ
prius ejurasset. Id unicum pro renovandâ cum Regno Poloniæ 13
pace perpetuâ Svecum Regem expetere contendens, Hoc i- 14
psum postulantibus Proceribus Uladislaus IV. Sigismundi pri-
mogenitus, in quem miro omnium consensu futurum Re- 28
gem suffragia ferebantur, syngraphâ secretiori, quam noverit,
qui narrat, Piascius, caverat. Stumfordium etiam utriusque 15
Regni Legati liti componendæ anno 1635. convenere. Sed Rex 16
Uladislaus cum fratribus germanis vel de jure in Sveciam pau-
lulum concedere, vel etiam titulo Regum Sveciæ abstinere o- 29
mninò recusabat. Induciæ tamen Stumfordianæ hinc appella- 17
tæ viginti & sex annorum, quarum finem undecimus mensis Ju-
lii dies anni 1661. allaturus erat, initæ. In iis præter alia, quæ 18
Brachelio relata sunt, placuit durante induciarum tempore mu-
tuis offensionibus abstinere, deq; pace perpetuâ intereâ agere,
quâ licet non succedente induciæ nihilominus starent. Duo 19
igitur in hanc rem Lubecæ conventus instituti, arbitris Gallo,
Anglo, Belgiiq; fœderati Ordinibus. Uterq; inter ipsa initia 31
abruptus. In priori tabulas plenipotenciales, quas vocant, 32
Polonorum Sveci rejecere, quòd in iis Polonus se Regem Sveciæ
diceret, atq; ita regnum hoc sibi palam vendicare videretur.
Id cum uti pactis adversum emendari vellent Legati Svecici, Po- 21
loni autem tandem responderent, se non audere Regem suum
de omittendo titulo compellare, infectâ pace discessum est.
Mox secutus est alter, iisdem de causis ferè irritus. Nam tabu- 22
læ quidem Polonorum, quanquam eundem titulum inscriptum 23
non dederunt, sigillum tamen iisdem impressum insignia Regni
Sveciæ Regisq; nomen apertè exhibuit. Deinde paulò ante- 24
quam Regina Svecorum Christina Regno abiret, venit Holmi-
am Legatus à Poloniæ Rege Johanne Casimiro missus Canazi-
lius, affirmans Regem suum Regniq; proceres in Sveciam mis-
suros, qui de pace transigerent. Responsum est nomine Caro- 25
li Gustavi Regis à Cancellario: Induciarum legibus per binos
etsi irritos congressus Svecos abundè satisfecisse; Regem nihilo- 4
minus pacem admissurum, si adfuerint satis præditi facultate
componendæ pacis. Missus ideò à Polonis Johannes Morste- 26
nius

nius, paraturus tantum, ut videbatur, locum & tempus futuro-
27 rum de pace tractatum, quæ præliminaria dici amant. Jus-
sus ex more, antequam admitteretur, apographum literarum fi-
ducialium exhibere, produxit tabulas, quibus partim jus in
28 Sveciam occultè sibi vindicare Polonus, partim se præ Rege
Sveciæ putare videbatur. Nam etsi utriusq; Regis titulis solito
rectius fuerat cautum, sub finem tamen numerabantur Poloni
Regis regnorum anni; deinde omissa deprehendebatur vocula,
& cætera, quam quibusdam Regii tituli vocibus adjiciendam
29 utrinque conventum fuerat. Hinc nescio annon in majus au-
xerint, qui Legatum Polonum Regis suo nomine Carolo Gu-
stavo ambitiosissimè Regnum denegasse asseruere, quòd ejus
30 suffragio dignitatem tantam non impetrasset. Commotus ni-
hilominus his causis Rex & literas, & Morstenium ut internun-
cium repudiavit. Indicari tamen iussit, se quanquam toties
elusum, non alienum à pace gerere animum, modò citrà amba-
31 ges quærat. Idem per Senatum suum ad Polonos Senatores
32 plenius perscribi curavit. Cum autem nullos ad eam rem a-
gendam submitti perciperet (venere enim, cum pars exercitus
Regii in finibus Poloniae excubaret, ipseque Rex armatus in pro-
cinctu esset,) inducias abrumpere, arma maturare decrevit,
ratus pace suspectâ, nedum induciis bellum esse tutius.

CAP. XI.

Signa belli Polonici.

1 **B**ellum hoc, quod Svecos inter Polonosque describere jam ag-
gredior, portentis quibusdam futurorum nunciis significa-
2 tum creditur. Haud ita diu Carolus insigne Regium sumse-
rat, cum in planitie haud procul Upsaliâ distante Rabokil agre-
stes vocant, sexto die, quò ad sacra ex suis quisque pagis rurico-
læ confluunt, ituris ad parochiale templum navalis pugnae spe-
3 cies apparuit. Visum & iniri inter hos certamen, qui Polonos,
Moscos, Belgas Svecosque vestibus, armis navalibusque signis re-
4 ferrent. Quæ cum intentiori curâ spectarent, atque apud se-
met colligerent, ludibriumne oculorum rebus vacuum, an ve-
rus conflictus esset, subito id omne ex oculis ceu fumus in atti-
ram

ram evanuit. Paulò verò ante quam idem in Poloniam move- 5
ret, loco à Dantiscanorum urbe duobus milliaribus distito, 6
haud obscurum futuri belli præludium multi conspexere. A- 6
quilæ duæ in sublimi, ut videri possent pendulæ, se mutuò ado-
riebantur, vario, utra vinceret, conatu. Rostris corruabant, 7
fodicabant, modò elevata, modò delapsæ alis pulsabant, ungvibus
inuncabantur, rursus expeditis sese collacerabant, sangvini- 7
nem ardescens pugnae testem in terram fundendo. Anceps id 8
certamen diu erat, donec altera supernè in agrum rueret, victri-
cisq; impetum quasi declinata aufugeret. Insequuta mox 9
est altera cruenta ungvibus atq; rostro non desertura fugientem,
dum viveret. Nam cum ambas homines, qui certantibus su- 10
pervenerant, cepissent, illa non potuit ab alterâ prius auferri
quam à Rustico occisa. Is Dantiscum pertulisse, ibiq; exentera- 11
tam Consul asservare perhibetur. Superstitem quidam, qui a- 12
pud Svecos in bello stipendia meruerat, in Pomeraniam abdu-
duxit, aliquandiuq; aluit. Erant ultra alias magnitudine con- 13
spiciæ, subfusca, pedibus rostrisq; flavæ, caudas crebræ penna-
rum albicantium distinguebant. Sub idem tempus numero 14
copiarum Svecicarum in Pomeraniâ inito Poloni non amplius
dubitarunt bellum in se parari. Fines igitur Livoniæ atq; 15
Prussiæ præsidiis muniabant, non ita tamen validis, dum &
Moscus ingentibus copiis bellum inferret, & Cosaccorum re-
bellio indies augetur.

CAP. XII.

Causæ belli Polonici.

AT Carolus Gustavus ut belli sumti causæ constarent, in- 1
publicum has ferè jussit edere: *Regis Vladislai IV. tempore* 2
Cæsareum hostilem Svecis militem tam duce Botio in Livoniam,
quam Crackovio in Pomeraniam per mediam Poloniam Republ.
neq; vetante, neq; leviter sese opponente, sed connivente, aut potius
elanculum conspirante irruisse. Nam monitos etiam à Senatu Sve- 3
corum Senatores Polonos rogatosq; ut redire Crackovium prohibe- 4
rent, per Poloniam tamen effugere passos. Imò, & arma ex arce
Putzensi aliisq; Prussie locis summississe: Contra Königsmarkio per-
sequenti

5 sequenti etiam transitum negatum. Insulanos Oeselienses Livonosque
 6 Svecis subditos ad defectionem ab eodem Rege sollicitatos. Johannem
 Casimirum nunc vasro, commento ad Reginam Christinam lingua
 7 & more Gallico literas scripsisse, (quas antiqua consuetudo Latinas
 exegisset,) ne videretur ex lege abstinere debito sibi titulo, aut Regina
 in debitum tribuere; nunc latinè scribentem palam sive in sigillo
 7 sive in ipso titulo nomen Regis sibi usurpasse. Nunquam ut observa-
 ret, quod lege fuerit cautum, etsi arbitri quoque faciendum dicerent,
 potuisse induci; Reddidisseque duos solennes Lubeca tractatus hanc unam
 8 penè de causâ irritos. Livonum fidem exemplo Fratris tentasse, Ri-
 gamque recuperandi consilia egisse, eosdemque Cosaccis jam dudum in-
 9 prædam obtulisse. Classem mari Balthico contra pacta incubuisse,
 atque eam fulciendam mare id vel accolentes, vel navigantes in fœdus
 10 vocatos, exclusis Svecis. Has molitiones occultaturum misisse Ca-
 nazilium in Sveciam, qui spe pacis à legatis mox, si foret placitum,
 11 insequuturis tractanda luderet. Nam, qui successerit, Johannem
 Morstenium nullâ facultate pacis componenda præditum, fiduciales
 solummodò literas exhibuisse, quibus & insuper annos regnorum
 12 (quod unicum tamen ipsi sit Polonicum) numerarit, Svecicum haud
 obscure sibi vindicans, & in titulo voculas; Et cætera, adscriben-
 13 das ad minuendam auctoritatem suam Regiam studiò omiserit. Tot
 ludibriis, tot injuriis laceffentes Polonos, jus Svecis in sese dedisse ar-
 morum. Novimus hæc objecta crimina Polonos aut negare aut
 in mollius referre, aut in eos, qui exprobrant, vertere, imò Chri-
 stianum Adolphum Thuldenum, candore atque eloquentiâ mul-
 tum infra Adolphum Brachelium, cujus historias ad nostra
 tempora pertexuit, ruptarum injustissimè induciarum unicè in-
 simulare Svecos non sine irâ atque studio, quorum neque causam
 14 procul habuit. At nobis etiam citra damnum affectus iudicium
 proferre volentibus, pleraque illa à notitiâ nostrâ remotiora visa
 sunt, ut satius referre quam temerè discernere habuerimus.

CAP. XIII.

Exercitus Svecicus in Poloniam movet duce

Wittebergio. Rex cum novo agmine sequitur, à Legato de
 pace compellatur.

D

Interea

pressus est
 anno 1656.

Vid. tractat.

geminos,

quorum uno

inscriptus est:

Injustitia

armorum Sve-

cicorum in Po-

lonos, à Lucâ

de Gabrys

manifestata:

Alter: Cause

ob quas Ca-

rolus Gustavus

Sveciæ Rex

Johannem Ca-

simirum bello

adoriri coa-

ctum se profite-

tur, limata &

elimata. U-

terque sine mē-

tione loci im-

pressus est

anno 1656.

INtereà Carolus Gustavus copias in Sveciâ instruebat secuturo 1
Imox Comitem Wittebergium, quem cum exercitu viginti 13
millium peditum equitumq; è Pomeraniâ præcedere in Poloni-
am majorem jusserat. Is ubi ad fines ejus die undecimo Julii 2
anno 1656. pervenit, mox Drahemò arce præsidio vacuâ aliisq; 14
oppidis occupatis ipsa Polonorum castra petiit. Eorum enim 3
quindecim millia ex Palatinatibus Majoris Poloniæ cum Ducibus
suis prope oppidum Usztye, quod Notezio Flumine allui-
tur, confederant, in trajectu hostem prohibiteri. Sed primo 4
acriq; Svecorum impetu repulsi, viribus impares se iis ita per- 15
misere, ut obsequio eodem quo veteri, novo quoq; Regi devin- 16
cti, sua quisque bona antiquo jure retinerent. Ea re territa 5
Posnania, prima inter urbes Majoris Poloniæ ad Vartham flu-
vium navigabilem & Prosnam amnem, muro duplici fossaqve 18
profundâ cincta, ædium eleganti structurâ Uratislaviam Sile-
siorum imitans, non ausa est victorem detinere. Itaq; ipsa sponte 6
se dedens reliquis exemplo fuit experiundi clementiam Sveco-
rum. Substitit hic Wittebergius, Regem ipsum cum alio e- 7
exercitu expectans, ut conjunctis copiis interiora Regni adirent. 19
Is decimo quarto Julii classe Grypsvaldam advectus, & biduo 8
post ex navî expositus Wolgasti accepit, haud diu reluctantem
Majorem Poloniam, & nullo ad tantam victoriam suorum da- 20
mno subactam. Quare venienti fortunæ occurrendum sta- 9
tuens non diu ibi cunctatus est; sed præmissis literis ad Impe-
ratorem Romanum, quibus rationes belli suprâ dictas repeteret, 21
pacemq; Monasteriensem se sanctè observaturum, ne Cæsar vi-
cinas terrarum invadentem suspectaret, promitteret, navem re- 22
petiit, Stetinumq; Pomeranorum contendit Miles, quem ad- 10
duxerat incerto numero, sed instructus & perarmatus medio fe-
rè milliari ab urbe in campo cum apparatu ad bellum reliquo
imperium Regis præstolabatur. Quo mox die vigesimo nono 11
Julii accepto, in Poloniam festinatis itineribus præibat, Rex in-
terjectâ solummodò morâ bidui cum tormentis bellicis, unâ
peditum cohorte duabusq; equitum turmis stipatus seqveba-
tur. Hoc toto itinere inoffensum agmen, nisi quòd parvæ ma- 12
nus utrinq; ad explorandum missæ semel mutuò incursarent, 1
die

die undecimo Augusti ad exercitum, cui Wittebergius erat præ-
fectus, pervenit. Eodem tempore Johannes Casimirus Rex
Polonorum quatuor ferè millibus Lovvizi, quod majoris Po-
loniæ Bsuræ flumini adjacet oppidum excubabat, venientem Re-
gem in itinere ex improvise aggressurus. Quo audito Carolus
Gustavus decrevit illum, priusquam copias auget, opprime-
re, aut fortè cedentem insectari, recepturus facilè omnia ea loca,
quæ à fugiente Rege suo sine fiducia tuendi se relinqui viderent.
Id consilium non ratione prudentius quàm eventu feliciter fuit.
Nam ut percepit Johannes Casimirus Svecum omnibus copiis
adventare, Warsaviam retroivit, misso Przimskio, qui pacem
offeret, vel saltem inducias obtineret. Hic in castris propter
Colo oppidum à Lovvizio duodecim plus minus milliaribus re-
motum locatis, honorificè exceptus inq; tabernaculo Regis
auditus est. Audacius loquentem Rex moderatè tulit, respon-
dente ejus nomine Biornklavio: *Regem suum nunquam pacem
detrectasse, à Polonis sæpius ludibrio habitum tandem arma sumfisse:
sed licet Majori Poloniâ subactâ, pacis tamen negotium non asperna-
ri, optareque ejus conditiones exponeret.* At cum Legatus signi-
ficasset nihil tale sibi in mandatis esse, sed si placeret, alios mox
adfuturos, qui rem eam agerent, Carolus annuit, Stetinumque,
ubi conveniretur, elegit. Legatus autem eam urbem Regi suo
haud opportunam fore, quòd longè nimis pro presenti distaret, cau-
sabatur, locumq; duodecim milliaribus ab utriusq; Regis castris dissi-
tum optabat. Ad hæc Rex subridens, quia, inquit, in propinquo
adeò adsumus, Patrum meum Johannem Casimirum Regem itine-
ris ad me molestis sublevabo, & ipse ad eum mox visam. Eo re-
sponso dimittebatur Legatus Polonus, traditis insuper quas ad
Regem suum perferret literis, quibus Carolus affectus mise-
ram erga Poloniam signa edebat.

CAP. XIV.

*Carolus Gustavus profligato Johanne Casimi-
ro Warsaviam capit. Eundem denuò fundit; Cra-
coviam obsidet; Polonos fugat.*

CAsimirus verò Reginâ lugubri curru Cracoviam dimissâ,
D 2 Sena-

Senatoribusq; ad finem Comitiorum Warfaviæ tum celebrato-
rum fidei erga se Regem gravi oratione monitis castra Lovvi-
zensia repetiit, Massoviensium aliquot manipulis comitatus. Vix 2
reversum Carolus Gustavus primâ aggressione profligavit.
Primi Nobiles, qui circa Regem erant, fugâ salutem quæfivere.
Rex igitur ab iis desertus, stativis nocte excessit, Cracoviamque 4
se recepit. Massoviensium quod Vistulam transnatarent, mul- 5
ti cæsi, alii capti. Warfavienses venientem victorem claves of- 6
ferendo ultrò admiserunt. In arce Regiâ concio ab Evangelico 7
sacerdote habita gratiæq; Deo solennes pro munere victoriæ a-
ctæ. Posthæc Wittebergius fugientes insequutus in eos in- 8
currit præter opinionem copiis ex Sandomiriensi Palatinatu ad
viginti quinque millia auctis, prope Opozno se opposuit.
Quos ipse strenuè adortus non minùs impigrè resistere decre- 9
visse, aliquo suorum damno didicit. Hunc hostis animum ve- 10
lociter Regi nunciari iussit. Is continuis itineribus eodem die 11
decem equis cursu exhaustis ad suos contendit, additoq; iis ani-
mo prælium init. Poloni quanquam diu impetum sustinerent, 12
virtuti tamen ejus cedere coacti diversis viis incompositi fugie-
bant. Alii Cracoviam, inter quos Rex ipse Casimirus, elapsi 13
sunt; Vistulam alii transiere, qui & in fugâ Clepardiam, civita-
tem Cracoviæ contiguè adhærentem, injectis undiq; ignibus
delevere. Cæteri sylvarum atq; saltuum occulta petivere. 14
Multi & Svecorum cæsi; Wittebergius manum sagittâ læsus 15
periculosum vulnus aliquo post tempore sensit. Jam verò 16
victorem Cracovia proximè expectabat. Est illa minoris Po- 17
loniæ caput, & universi regni præcipua urbium. In æquo cam- 18
pi ad Vistulam manibus geminatis fossâq; præaltâ munita,
splendore ædium, mercimoniorum opificiorumq; frequentiâ,
civium numero, & civilitate pulcherrimis Italiæ Germaniæq; à
Staravolscio comparata. Insignium Regionum receptaculum,
coronationi atqve sepulturæ Regum destinata arx, à scopulo 19
præcipiti, vastâ mole præterlabentem despectat. Urbem ver- 20
sus paulatim saxum quasi in gradus euntibus opportunos se di-
mittit. Cohærent illi tres Civitates aliæ. Ad meridiem eam 21
Casimiræ, jungit pons sublitius Vistulæ utramq; interfluenti
impositus.

22 impositus. Eadem Academia antiquissima nobilis, murorum
suorum ambitu Judæos quoque cum Synagoga concludit. Pon-
23 tem inter atque Cracoviam pars terræ, quam hinc Vistula, illinc
Rudavvka amnes à continenti divellunt, Stradomiam alteram
24 Civitatem continet. In Septentrionem tertia Clepardia inspicitur,
inter suburbia ab aliquibus numerata, quod absque muris un-
25 dique pateat. Ab Occidente Cracoviam pergentibus suburbia à cer-
26 donibus atque sutoribus inhabitata transeuntur. Admoto ad hanc
urbem exercitu, Carolus Gustavus Casimiriam cum ponte facile
in potestatem suam redegit; Stradomiã se paulo post dedente.
27 Sed ignem oppido immittebant ii, qui Cracoviam præsidio te-
nebant Czarnetzkius, Prziemskius, & Præfectus cohortis Wolf-
28 fuis, cum tribus millibus fortiter resistentes. Cum igitur Rex
videret, difficilem fore expugnationem, moramque hostibus di-
9 sperfis cœeundi, obsidionem parti, quanta sufficeret, exercitus
10 demandavit. Duglassius cum turmis aliquot præcedebat ad
Landskronam arcem quinque miliaribus à Cracoviã in monte
12 excelso hærentem ex improvise intercipiendam. Rex ipse recol-
lectos ultra vistulam hostes quærens, Duglassium revocabat;
13 Qui re prosperè gestã ad Regem per Rusticos securibus atque fal-
cibus fænariis angustias viarum, quæ transseundum erat, ob-
14 sidentes & iter & prælium faciens evasit. Deinde in postesta-
tem redacto Visnicio castello, tormenta ænea, pulverem pyrium,
15 comæatum resque alias ad bellum necessarias, quibus erat in-
16 structum, subministrante, aliquot turmæ vivere hostem speculan-
17 di. Hæ accepto Polonos trans Donajeziũ consistere securius
18 progressæ cis fluvium offenderunt, multitudineque victæ ad suos
32 in castrã recesserunt. Poloni autem jugum opportunè itineri
angusto imminens occuparant, undè facilius subeuntem aut
33 prohibere aut opprimere hostem possent. Et sanè difficilis ea
34 pugna erat, donec aditum Sveci aperirent. Carolus ipse Sma-
landos delectosque ex iis, qui Wittebergio suberant, equites duce-
20 bat. In dextro cornu Bødcherus, in sinistro Palatinus Suldzba-
36 censis dimicabant. Polonorum agmen sex millibus constabat,
37 maximam partem Quartianis, Croatis & Wallachis. Primi
Wallachi impetum in turmas Regis à dextro latere fecerunt,

quas lævum cornu tuebatur. Unde dissipati alii cedebantur, 38
alii fugiebant. Tùm Bodcherus in dextrum latus hostium
irrupens, loco cedere tergaq; dare coëgit. Denhofius præfe- 39
tus turmarum aliiq; capti, centum & amplius in fugâ occupati
periere.

CAP. XV.

*Quartiani ad Svecos transeunt. Ad Comi-
tia Polonos vocat Carolus. Fridericus Hassiæ Landgravius
occiditur. Cracovia Svecis deditur. Inducias & pacem pe-
tunt Poloni. Rusi veniunt visendi Regis gratiâ.*

Imperator eidem dono mittit equos

Hæc Polonorum clades magnis rerum conversionibus op. 1
portuna fuit. Johannes Casimirus enim regno suo excessit,
inq; Silesiam abiit. At Carolo Gustavo in castra ad obsidio- 2
nem Cracoviæ urgendam reverso, signifer Polonorum Konitz
poltzki & Sapiha quatuorq; millia (duodecim alii numerant)
Quartianorû se, omniaq; quæ præsidio tenerent, ultrò subjecere.
Horum militum fides, multis anceps tùm visa est reputanti- 3
bus *facilem fore his præditionem, qui obsequium, quod Regi suo
jurassent, temerè abjicerent. Nihil tutius esse, quàm circumdatos
eos toto exercitu globis bombardarum obrui, documentum haud
inultæ perfidiæ futuros.* Sed Rex ut erat mitis, nec in suspicio- 4
nes perinde atq; inde iacta severus, *severò tantum facinus negat
esse facturum, ut suæ deditos fidei & obsequium sanctè juratos jube-
at trucidari. Quem deinde amplius hostium salutem suam credi-
turum sibi, si tot militum sanguine imbuisset manus.* Itaq; illos ne 5
dissociatos quidem in numero militum habuit, utq; alii similiter
se Regem acciperent, ad Comitiam Warsaviam Ordines Regni lite-
ris convocavit, libertatemq; Religionum atq; Jurium omnium
pristinorum à se non lædendorum spem fecit. Eodem tempo- 6
re Fridericus Hassiæ Landgravius, qui Regis Sveciæ Sororem in
matrimonium assumserat, tribus equitum turmis ad affinem Re-
gem properabat. Cùm autem ad obicem Koscieni oppidi in 7
Majori Poloniâ venisset, nescius à Polonis nuper id occupatum,
sclopeti ictu ex mœnibus occiditur. Cadaver in foetidam pa- 8
ludem

38
39
i
9 ludem abjecerunt, quã aliquantò post miserè laceratum est ex-
tractum. Sed equites illum comitantes, Posnaniensibus præfidi-
ariis adjuti, mox vi pugnando ceperunt, Principisq; sui manibus
cæde quingentorum Polonorum & quorundam civium extra
10 portas ab arboribus suspendio parentarunt. Inter hæc obsessi
Cracoviæ, machinamenta & astus oppugnationum ingenti ala-
11 critate sustinuerunt. Cùmq; spes potiundi urbem longinqua &
fera esset, Denhofium captum in urbem Carolus ablegavit, qui
moneret *obsessos à Rege suo pulso frustra aut minus serò auxilia ad-*
12 *ventura sperare. Cessarent ruinã pulcherrimæ urbis irritare Victo-*
13 *rem, quem morari, non depellere possint. Nunc indulgentissimum*
accipiant, pertinaciæ temerariæ acerrimum vindicem ultoremq; ex-
14 *perturi.* His inducti deditioem fecere, pacti ante, ut qui præsi-
diò fuissent, urbe more mititari excederent, incolæq; immunita-
15 tibus iisdem imposterùm sub novo Rege fruerentur. Vix Ca-
rolo Cracoviam ingresso literas Lubomirskius obtulit à Nobili-
bus Minoris Poloniæ scriptas, qui quotquot in Lublinensem ar-
cem confugerant, *inducias rogabant, donec per nuncium, quem*
16 *jam miserint, à Rege suo Casimiro responsum acciperent. Non posse*
novo Domino se subiecturos, priusquam necessitatem apud Veterem
17 *sint questi, obsequium juramenti fide receptum facile excutere. Ex-*
spectari propediem Regis sui consilium, quo aut Pacis faciendæ ratio-
18 *nem, aut modum sibi exponat, in aliis potestatem haud quaquam le-*
sa fide concedendi. His rescripsit Carolus: *Inducias, quas peterent,*
bello trahendo tantùm opportunas fore. Si Patriæ suæ amore, quem
præ se ferrent, tenerentur, primi accederent Comitibus Warsaviæ ha-
19 *benda, inq; commune deliberarent.* Hoc responso cognito
plures Nobilium in Silesiam ad Regem Casimirum perfu-
20 gere, coronâ aliisq; insignibus Regiis secum ablatis. Aderat
mox à Rege ipso Polonorum submissus Brachouski Castellanus,
militiæ strenuus, eloquentiâ civili incomparabilis; qui
Carolum gravi oratione allocutus, *pietatem, dixit, intercedere,*
ad quam indoles utriusq; Familie Regiæ, & humanitas congenita,
21 *communio item sanguinis ducat, ne bello progredereetur. Neve armis*
partum Polonorum regnum existimet retinere posse. Turcam, Ca-
sarem, Moscum & quibus mare Balticum navigatur, potentia
Sveco-

Svecorum nimia, nunquam ipsis satis fide obstituros, dum surgeret.
In Polonis nullam belli culpam residere; Si gloriam Nominis Regnumq; 22
proferre bello constituerit, arma cum natione ob necessitudinem Regis
sibi conjunctâ jungeret; Russos fœdifragos adoriretur, terram na-
turâ unam Imperio quoq; suo facile uniret; Poloniam atq; Sveciam 23
terrâ æquè atq; Imperio non posse conjungi. Nihil gloriæ etiam suæ 24
ex devictis Polonis adstructurum, quippe quos aliâ militiâ specta-
tos nil tale expectantes, & tam externis quàm internis bellis fessos
more procellæ inundarit. Periculum tamen quoq; timeret ab inva- 25
lidis. Lubricam belli fortunam esse, nec invitam teneri posse. Mo- 26
mento sæpè aliquos, qui solio infederant, alterius insidentis genua ad- 27
volvi. Imponeret felicitati suæ frenos, ut melius eam regeret; Ma- 28
gnas naves aliquando facilius mergi quàm dirigi. Cum verò omnes 29
servos habere non posset, eligendos quos sibi amicos vellet. Fore 30
autem Polonos integerrimos omnis fortunæ socios. Pacem Warsavia 31
pangeret, ubi Legatos ejus rei agenda socios ipse Regem huc sequutus
reliquerit, ut decreto Comitiali firmaretur. Interea sanguini hu- 32
mano & Christiano Princeps Christianus parceret. Arbitrii ejus vi- 33
cissim Johannem Casimirum velle esse locum, quo pacis negotium tra-
ctaretur. Vel hæc ipsa Cracovia paulò ante caput gentis Polonorum, 34
modò Svecorum potita, inconstantie humane exemplum, arbitran-
darum sopiendarumq; litium sedes esset. Regem suum in probitatis 35
atq; sinceritatis, quâ hæc ageret, documentum omnes, quotquot fu-
erint, captivos dimittere, homines illos militesq; Regis consangvi-
nitate sibi propinqui, dignitate Fratris. At Rex his speciosè moras 36
quæri dictitans, quibus hostis vires resumptas pacis negotio in-
terponeret, suæq; id deinde voluntati attemperaret, Legato di-
misso cum maximâ exercitus parte quatuorq; Quartianorum
millibus Warsaviam profectus est, Comitibus à se indictis ipse in-
terfuturus, deq; Reipubl. necessitatibus cum Ordinibus Regni
consulturus. Nam Mosci ingentibus copiis interiora Polonia 37
ingressi, Lublinum ceperant. Eo tempore quatuor millia Ruf- 38
forum cupidine visendi Regis accensi finibus patriæ suæ excesserunt,
& cum haud procul Warsaviâ abessent, præmiserunt indi-
cantes, venisse se Regem noscendi venerandiq; avidos. Quibus ut 39
Rex in campo cataphractus cum sex equitum turmis in conspe-
ctu

Qui fuit, equis ipsi defilierunt, Staphiasque bucculâ remotâ benevolentiam erga se testantis Regis tetigerunt, iteratis vocibus acclamantes: *Vivat Carolus Rex voster, vivat & imperet nobis feliciter.* Ibidem ab Imperatore Romano, arbitrum pacis se offerente, duos accepit equos dono missos à Turciâ nobiles, phaleris duobus millibus nummorum imperialium contra caris stratos. Verum in Comitiis Poloni, qui aderant, liberales epulas, non regnum, Carolo offerebant. Casimirus autem, exul senatores Regni aliosque in Silesiam ad se literis vocabat, multis oppidò comparentibus.

CAP. XVI.

Electorem Brandenburgensem ad suam voluntatem compellit Carolus. Filius in Sveciâ ei nascitur. Moschus Svecorum Livoniam invadit. Adolphus Johannes Frater Regis summus exercituum Imperator ad nobiles Polonos compefcendos proficiscitur: Steinbockius in Prussia remanet. Rex in itinere Legatos audit.

Sub idem planè tempus Elector Brandenburgensis oblato Thoruniensibus, quantumvis repudiantibus, præsidio patrocinioque in Prussia Svecis adversus fore videbatur. Itaque Carolus maturè eam regionem & antequam Poloni novis copiis insurgerent, opprimere decrevit. Præcesserat jam supremus rei armamentariæ præfectus Comes Steinbockius, inque Prussia Regali fufis aliquot Brandenburgensibus turmis Stratioburgum, quod aditum in regionem aperit, oppidum Thoruniumque probè munitam urbem ceerat eloquentiâ Radzevii, Procancellarii Poloniae, dum criminum in Regem atque Rempublicam commissorum à Senatu damnaretur, ad Svecos ante bellum profugi. Rex Carolus mox subsequutus Senatam Thoruniensem extra portam obvium habuit, cui fidem atque constantiam promittenti manum osculandam præbuit. Plura alia oppida clementiam Victoris implorarunt, dum interea Quartiani in Ducalem Prussia excurrerent. Livonici verò Svecorum milites cæteris accedentes Grudentium in potestatem suam accepere. Paulò post Elbingio magni momenti loco deditioem faciliè faciente,

E

Regi

ANNO 1655.

Regi nuntiatur, Reginam uxorem partu filium enixam, die vigesimo quarto Novembris, quo pater Thorunii recipiebatur, ipso noctis medio; quem fuscipientibus è baptismo tribus Potentissimis Electoribus, Saxone, Brandenburgensi, & Palatino, totidemque Principibus, Holsato Regis Socero, Würtembergensi, & Adolpho Johanne Regis fratre, nomine Caroli nuncuparunt. Hæc fortunâ, quæ tantas res in unum quasi diem cumulabat, lætus Carolus delectis copiis, quæ Mariæburgum ad Nogatum positum firmissimum munimentum obsidione premerent, reliquo exercitu Brandenburgicos subinde occurrentes profligavit, occupatisque circa Regium Montem locis, Electorem undique circumfedit. Qui cum non auderet prælio decernere, ad partes Svecorum à Comite Erico Oxenstirnio ad id misso, multis argumentis tractus Vasallum se, quod Prussiæ esset Dux, Sveciæ Regi, spreto Polono, imposterum submitit, mille pedum equitumque quingentos suis sumptibus suppetias mittere, alereque, transitum Svecis, usum portuum, Quartianis pecuniâ promisit. Contra Rex Electori se amicum, conservatorem feudi hæreditarii, atque contra hostes defensorem fore pollicitus est. Decem mille Imperialium, quos Regi Poloniæ in singulos annos penderet, remisit. Summum iudicium ordine dedit, à quo provocare ultra non liceat. Quod fœdus ipsi post Bartensteinii, ubi splendido apparatu inter tormentorum strepitum se mutuò accepissent, die vigesimo secundo Januarii anno 1656. triduo amicè conversati ratum habuerunt. Rex acceptarum hinc copiarum Duces omnibus ad obsequium sibi promptos reddidit, Livonicasque cohortes Prussiâ Ducali exire iussit. Et id quidem peropportunè ei accidit. Nam Russorum magnum Principem Alexium Michæloviciam in Svecorum Livoniam arma vertisse tum constabat. Is elapso adhuc anno Cosaccorum prædatorum auxiliò Poloniam miserè vastarat, & dùm Sveci ab alterâ parte eam urgerent, Lublinum usque, ceu supra retulimus, penetrarat. Et quanquam per Legatum Bielkium Carolus amicitiam offerret, potentiam tamen ejus successibus prosperis augmentem aliquando vicino minus tutam suspectare cœperat. Eidem igitur cum Livonicis cohortibus

bus

21 bus Comitem de la Garde opponere coactus est. Fratrem au-
tem suum Adolphum Johannem Imperatorem summum exer-
citibus in Prussia, Majori Minoriqve Polonia preposuit; qui ma-
jorem copiarum numerum ex Prussia in Masoviam & Poloniam
ad compescendos Nobiles in Svecos arma convertentes ducebat.
22 Steinbockius cum agmine sex millium in Prussia remanens va-
riis oppidis captis Mariaburgum aggrediebatur, quod Fratres
duo Weyheri cum Barone Guldensternio strenue tuebantur.
Ipse Rex Thorunium pretergressus Soldavii, quod Ducalis
Prussia oppidum Warsaviam tendentibus transitur, Legatos ob-
24 venientes admisit. Ab Imperatore Romano Ferdinando III.
25 missi pacem cum Polonis serio svadebant. Idem sui Impera-
toris votum Turcicus Legatus stragula substrata genibus in-
cumbens exposuit patriam linguam, cui responsum Regis per
Ratzevskium datum interpretes reddidit.

CAP. XVII.

Polonos praelio vincit Carolus.

1 **H**is dimissis ad Wishegrodam properè trajectam Vistulam o-
mnibusqve, quæ à tergo erant, presidio firmatis Lovicium
2 exercitum iustravit. Decem millium repertum esse referunt.
3 Aderat Frater Regis Adolphus Johannes, cui ceteri Duces
exercitus Duglassius, Woldemarius, (hic Comes ex Daniâ ma-
num mille equitum ultrò Regi attulerat;) Mullerus, Aschenber-
gius, Hammerschildius, Hornius, Wittebergius aliiq; parere
4 jussi. Rex tot Ducibus excellentissimis stipatus cum exercitu
Ravæ Piltzam amnem transiit, propter Radomiam Palatinatus
5 Sandamiriensis in Minori Polonia civitatem castra locaturus.
Sed cum in itinere cognovisset, Nobiles Palatinatus Lublinensis
incolas aliosq; Polonos, quibus Czarnetzkius præerat, ultra
6 Vistulam non procul abesse, occupare eos statuit. Fluvius,
quod frigoribus tum congelaratur nivibusq; concreverat, tran-
7 seuntibus iter expeditum fecit. Stativa proximè vicum haud
8 inelegantem Phlostovvizium posita. Ex iis mane obscuram lu-
ce, intenso frigore, Aschenbergius cum turmis aliquot specula-
tum mille passus progressus ad prælium paratum ho-
stem

stem reperit Regiq; indicat. Itaque parum instruendo prælio 9
temporis datum est. Hornius assumtâ exercitus parte pu-10
gnam orsus est, quem â Polonis ferventi impetu repulsum,
Quartiani subvenientes restituere. Inter hæc Rex, ad cuius la- 11
tus Frater erat, reliquum agmen per loca uligine profunda, &
ad gradum per æstatem instabilia & lubrica, in quæ hyems vi- 12
am straverat, ducebat, unde proximè & opportunè in hostem
incurreret. Dextrum cornu Wittebergio, Duglassio lævum 12
commisit. Poloni dum lævum cornu adventare viderunt, 13
dextrum invasere. Quam rem Rex videns negotium dedit 14
Duglassio hostem circumeundi, ne fugâ elaberetur. Contra Po- 15
loni tentari id intelligentes, in Regem ipsum involarunt, summo
omnes impetu, quippe sibi quisq; Regis cæsi expetebat decus.
Sed qui delecti circa Regem tuendum erant, ante oculos ejus 16
mortem occumbere ducebant egregium sui immemores. Qvip- 17
pe amisso Rege nec volebant salvi esse, nec poterant. Tum Fra- 18
ter Regis ob equi lapsum crure fracto (alii sagittâ confossum
falsò retulerunt) ex prælio Warsaviam delatus est. Dum ita 19
utrinq; pluribus cadentibus de victoriâ ambiguè certatur, tan-
dem hinc Wittebergius, illinc Duglassius in latera, quæ nuda-
verant, Polonorum inveci ad fugam eos compulere. Czar- 20
netzkius aliiq; velotciate eorum Samosciam evasere. Duo- 21
decim turmarum hostilium pars cæsa, pars capta: Reliquos Vi-
stula, dum fugâ crebriori attritu glaciem rumperent, absorpsit.

CAP. XIIIX.

*Carolus in Russiam cum exercitu vergit. Du-
glassius frustra aggreditur Premisliam. Rex Sanum ponte
jungere ad Jaroslaviam conatus impeditur à Polonis. Quartiani
ad Polonos deficiunt. A Jaroslavia munitione Poloni cogunt
Carolum desistere, qui inter impedita ab hostibus i-
tinera Warsaviam evadit.*

Summâ militum alacritate jubentium, quocunqve vellet, du- 1
ceret, Carolus non moratus impetum, flexo Sanum fluvium
versus itinere ad Russiæ Rubræ urbem Jaroslaviam mercatu an-
nuo celebrem pergit. Ab hæc quinq; miliaribus ad Leopolim 2
vergit

9
1-10
11
&
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
2
t

vergit Præmisliæ civitas, nomen in totum illum tractum dif-
fundens, cui mœnibus cinctæ arx in scopulo ad præterfluentem
3 Sanum condita firmissimum munimentum est. Eam Rex Du-
glassio expugnandam dedit, qui primùm ab ipsis mœnibus,
quamvis nocte intempestâ invaderet, deinde à monte arcem,
contra in altum surgente, in quem nitebatur, depulsus, trecentis
4 suorum amissis ad Regem est reversus. Hic ponte Sanum jun-
gere, haud procul Jaroslaviâ conabatur ad operis custodiam
5 mille eqvitibus dispositis. At Czarnetzius suspicans Regem
credere Polonos dispersos esse, ut haud facilè brevi coirent, de-
lectam eqvitum peditumq; manum in sylvis, quæ campo ad ur-
6 bem exiguo sunt junctæ, condidit. Die insequente Gregoriû
quatuor eqvitum turmas signa in modum Tartarorum præfe-
rentes prodire jussit, ut eos in auxilium jam tum Polonis adesse
7 fidem aut curam faceret. Hos pugnam cum pontis custodibus
capietes ~~dux~~ aliæ catervæ sequebantur, quæ vexillis convolutis
8 nullum nationis indicium prodebant. Sveci quanquam diu
hostem ponte prohiberent, multitudine tamen superati in ur-
9 bem refugere. Impedimenta, quæ jam ultra pontem propin-
10 qua urbi vehebantur, in Polonorum venire potestatem. Po-
stero die circa Præmisliam excubantes Svecos fudit Czarnetzki,
11 & amne subinde trajecto incurrens multos trucidavit. Tum
Poloni, quos vel metus vel proditio Svecis socios attraxerat,
quiq; prosperis ipsorum rebus ad obsequium certabant, adver-
12 sam hanc fortunam ex æquò ferè detrectavere. Igitur ad Czar-
netzki defecere Calinsky sex cohortes, Lubomirskius viginti,
Broskovzki sex eqvitum turmas, Alexander Conjietzpolitzky,
Pototzky & Sapiha octo millia Quartianorum secum auferen-
13 tes. Eos alii etiam Duce suo Nymerfitzkio Subcancellario
14 Kyoviensi deserti sequuti sunt. Interea Carolus Jaroslaviam
novis munimentis firmare cœpit, ut hostem prosperis conflicti-
bus transfugarumq; copiis ferocem detineret, donec sui auxilio
15 occurrerent. Sed Poloni omnibus copiis urbi assedere ad pro-
16 hibendum, ne semifacta opera perficeret. Quorum vi cum se
ob inopiam militum commeatusq; diu ibi resistere non posse
videret, & progredi inconsultum & reverti periculosum esset,

verfabat se ad omnes cogitationes, aliud atq; aliud ita ut fieri
solet, ubi prima quæq; damnamus, subjiciente animo. Hæsi- 17
tanti ratio, amici, & fortuna subministrarunt consilium. U- 18
triq; Sani ripæ crebras custodes apposuit, ut impedimenta na-
vibus tutò imponi possent secundoq; flumine Warsaviam deve-
hi. Nam id jam ad Sandomiriam in Vistulam funditur. Ipse 19
cum reliquo milite in arcem Rudnickium se recepit, & à tergo 20
instantes Polonos in itinere conversus acerrimo conflictu repu-
lit. Multi Polonorum, plures tamen Svecorum cæsi aut semi- 21
vivi dispersi humi & ad ripas Sani quator milliaribus jacebant,
miserabile transeuntibus spectaculum. Post Sandomiriam, 22
quam septingenti suorum præsidio tenebant, contendit. Ponte 23
eam adiri oportebat, quem centum quinquaginta equites cu-
stodiebant, quò tutior esset Regi transitus. Verùm Poloni Re- 24
gem antevertentes Duce Machovskio profligatis excubitori-
bus ruperunt, ipsamq; urbem factâ subito impressione mox &
arcem dilapso Svecorum præsidio occuparunt. Vix ingressi erant, 25
cùm incenso subtus pulvere pyrio, cui discedentes Sveci arden-
tem fomitem admoverant, totum castellum in aërem sufflare-
tur. Carolus autem sic aditu urbis præclusus dum ab omni 26
parte hostem ingruere videret, in proximo, qui adjacebat,
campo cohortes disponit suos alloquutus: *Ne vos, Commilitones, 27*
hostium multitudo commoveat: Testis adversus eam invidi Svecorum
roboris Major Polonia & Masovia inundata cruore Polonorum
& Minor Polonia, cujus campi devictorum ossibus à Nobis strati
sunt. Non primum nunc periculum audacius sumere hostem & fa-
cilè detrectare experiemini. Quamdiu vobiscum in acie stabo, nec
meos nec hostium exercitus numeravero. Vos modò animos mihi
plenos alacritatis ac fiduciæ adhibete. Tùm hostem paucitate, 28
spretâ temerè incursantem viæ pariter atq; pugnæ compositis
ordinibus recedere coëgere, viamqve sibi Warsaviam versus fer-
ro aperuerunt. Post id prælium Poloni copias diviserunt, ut 29
undecunqve auxilia Regi advenirent, ea occuparent. Lubo-
mirskius Cracoviam petiit. Sapieha & Nobilium Polonorum
major pars alteram Vistulæ ripam observarunt. Czarnetzkius 30
propè alteram celeritate maximâ profectus arreptum Marchio-
nem

17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30

3inem Badensem Regi suppetias ferentem profligavit. Inde flu-
vium ipse primus, sequentibus Ducis exemplum militibus, tra-
nans iterum Caroli exercitum impetebat, qui itinerum mole-
stis & crebris Polonorum incursionibus magnam partem attri-
tus Warsaviam evasit.

CAP. XIX.

*Mariæburgum à Svecis deditio acceptum,
Carolus Conjugi Reginae è Sveciâ adventanti in
amplexus tendit. Nobilium Polonorum defectione irritatur.
Dantiscanos in arctum compellit fortiter resistentes: Czarnetzkium
vincit: Warsaviam periclitari accipit: Ab Electore Brandenburgico
auxilia nova paciscitur: Warsaviam captam dolet: Pacis conditio-
nes à Polonis oblatas respuit. Juncto cum Electore Brande-
burgensi exercitu cum Polonis triduum pugnat
eosq; vincit:*

1
2
3
4
5
6
7

EX hoc tantâ necessitate multo suorum damno eluctatus est
Carolus, quæ magnum quemvis exercitum opprimeret, nisi
felicitate tanti Regis, tot excellentissimorum Ducum scientiâ
belli, militumq; fortitudine sustentaretur. Damnum tamen
hoc Mariæburgi deditio aliquantum compensavit, sub idem tem-
pus Steinbockio facta. Carolus autem in quartam hebdoma-
dam Warsaviæ reconcinnando exercitui intentus ad Reginam
conjugem suam amplexandam profectus est. Ea enim audito
Regis periculo, quod in majus subinde rumor extulerat, quasi
in auxilium marito accurrens excesserat è Svecia, & ad sillavi-
am declinando insidiantes in mari Dantiscanorum naves, inter
magnificos Brandenburgici apparatus appulerat. Occurrentes
simul in amplexus ruebant, tantum in ore, in gestu gaudii pro-
mentes, quantum intus conceperant. *Illam maritum superstitem
sibi gratulari, neve ab eo divelleretur deprecari. Nubendo se non
prosperam tantum, sed omnis fortunæ iniisse societatem, nec invitam se
cum marito Spiritum emissuram.* At Rex fidem ejus & amorem
erga se predicare, dehortariq; ne ad expeditionem proficiscentem
sequatur. Bellum cum hac gente velocitate constare, quantam
ipsa

ipsa ferre non posset. Mutuos hos conjugum amplexus Mariæ- 8
burgi aliquot diebus continuatos lætus affecit nuncius de Czar- 9
netzkiò à Wrangelii Steinbockii copiis conjunctis in Majori Po-
lonia profligato. Ibi etiam literis Polonos & Massovios defecti- 10
onis maxime voluntariæ à se arguens, ad obsequium revocavit,
veniam si intra viginti dies, à quibus has literas cognovissent,
redirent, pollicitus. Cumq; parum proficeret, sed novis etiam 11
Polonorum injuriis & sævitiâ erga suos irritaretur, clementiam
in iram vertit, trucidariq; aut capi quocunq; obsequium detre-
ctarent, quibuscunq; impunè & additâ spe præmii mandavit.
Mox copiis in Prussiâ collectis Dantiscanos crebris excursioni- 12
bus molestos in arctum compellit, adq; fœdus & amicitiam invi-
tat. Sed illi pro Rege suo Johanne Casimiro quæq; perferre 13
decrevisse responderunt. Cum igitur urbis potentissimæ con- 14
stantiam non facilè frangi posse videret suosq; in Majori Polonia
succumbere perciperet, relicto Steinbockio, qui illos cœrceret,
Brombergam, ad quam æstiva Wrangelius posuerat retrocessit.
Postero cum advenisset die unitis copiis progressi Czarnetzkiùm 15
ab altero sylvæ, quam præteribant, latere opportunitatem ex im-
proviso insultandi opperiri audiunt. Misus à Rege Wränge- 16
lius acerrimo cum certamine superavit. Inde Thorunium per- 17
gentes, quod Poloni infestabant, in itinere accipiunt: *oppugnari*
Warsaviam à quadringentis Polonorum & triginta Tartarorum mil-
libus: Ipsum Johannem Casimirum in castris addere obsidentibus 18
animos, & nisi auxilia maturarentur, mox in potestatem hostium con-
cessuram. Sed Regi Thorunium venienti omnia in melius rela- 19
ta sunt: *Polonorum non tantas esse copias, urbem munitam presidio* 20
militum fortissimorum & præfecti Wittenbergii vigilantia insupera-
bilem: Septies jam ingenti strage Polonos à mœnibus recessisse. Qui- 21
bus Rex confusus Grudentium, & ubi conjux obviam progressa
erat, Mariæburgum remeavit. Animum tamen ad inclinantem 22
quodammodo fortunam flexisse visus est, cum eodem tempore
fœderis articulos cum Electore Brandenburgico Bartensteinii,
ceu narravimus, pactos multum immutaret, ut societatem ar-
morum impetraret adversus Polonos. Mox Warsaviam amis- 23
sam, imprimis quòd suis excedentibus deditiois pacta Poloni
non

8 non fervassent, abreptis Samosciam in carcerem Wittebergio &
9 24 Benedicto Oxenstirnio doluit. Tùm pacem Poloni offerebant:
10 *Excederet omnibus locis, quæ in Polonia, Prussia, Lituania præsiidiis*
11 *25 suis insideret Carolus. Deinde ad fidem induciarum, quæ pacis ne-*
12 *26 gotio darentur, Pomeraniam pignori Polonis poneret. Tempus quan-*
13 *do Regnum Sveciæ ad Sigismundi posteros sit rediturum, definiret.*
14 27 Sed Carolus *has leges non prælio justo, nedum bello victum ferre se*
15 *non posse arbitratus, unitis Brandenburgensibus copiis in Maso-*
16 *28 viam ex Prussia movet. Elector Fridericus Wilhelmus dum ipse*
17 *ad bellum proficisceretur, Regi Johanni Casimiro, sociasse se cum*
18 *Svecis arma indicavit, necessitate compulsus, & quòd non solum de-*
19 *sertum se à Polonorum auxilio videret, sed & ex interceptis Regis*
20 *ad Czarnetzkium aliisque literis incursiones regionibus suis certò immi-*
21 *29 nere cognosceret. Ad has avertendas uti Svecorum auxilio, depo-*
22 *30 siturum mox arma, si pacem Poloni vellent. Cui Casimirus Rex*
23 *respondit: Non tantam fuisse necessitatem, quæ ex vasallo hostem fa-*
24 *31 ciat. Literas, quas dicat, privatas fuisse nec quicquam hostile mina-*
25 *32 tas. Se contra Czarnetzkium monuisse, ne Prussiam infestaret; ar-*
26 *33 mis non pacem sed bellum quæri, excederet cum exercitu morâ tridui*
27 *34 ex Polonia, nisi omni in Prussiam jure excidere vellet. Interim uterq;*
28 *exercitus sociatus Warsaviam appropinquat, ad quam castra*
29 *35 Poloni metati erant. Hi adveniente illo in æquitabili pugnaq;*
30 *apto loco explicaverunt copias innumerabili aliarum nationum*
31 *turba, quæ suis armis vasta, corporum mole, truci clamore &*
32 *vultu fortissimos terrere possunt auctas, pugnaq; indicium*
33 *36 fecerant. Hinc primo statim die signa contulere, sed ingruens*
34 *37 repente nox diremit, ut in incerto esset, utri pravaluissent. Vix*
35 *coæpta luce cruore adhuc madentibus armis prælium resumtum.*
36 *38 Acre id erat utroq; exercitu victoriam sibi promittente, quam*
37 *Poloni militum multitudine & alacritate, Sveci sæpius edita vir-*
38 *39 tute acquirere tentabant. In dextro cornu Carolus, in lævo*
39 *40 Elector pugnabat. Brandenburgicus opportunitatem loci nactus*
40 *perpetua tormentorum verberatione ingentem stragem ruinæ*
41 *similem edidit in agmine hostium, quod pro castrorû incolumi-*
42 *41 tate immotum adhuc steterat. Usus oculorum difficilem red-*
43 *debat densissimus fumus, qui è tormentis utrinq; evolutus velut*
44 *nubes*

F

nubes

habes campo incubabat. Ad umbilicum ferè diei anticipi Mar-42
te pugnatum, donec Tartari & Croatæ in lævum Electoris cor-
nu inveci dissipatis aliquot cohortibus in impedimenta ruerent,
quos Rex à sylvâ, ad quam paulum retrocesserat, erumpens cir-
cumivit, paucisq; dilapsis trucidavit. Prosper is dies Svecis43
magis quam Polonis terminabatur, sed universi discriminis even-
tum nox altera interveniens morabatur. Tertii tandem diei44
fortuna Svecis victoriam detulit, quo superstes Polonorum exer-
citus fusus fugatusq; est. Fugientes longè diversam fugam45
intenderunt. Quidam quacunq; patebat via; Tartari in pro-46
ximis sylvarum se abdebant: Nobiles Poloni quâ rectum iter
Warsaviam ducebat, pontem igne abolentes, ne hostis Vistu-
lam transgressos insequeretur. Triginta tormenta majora47
Svecis castraq; & munimenta, quæ posuerant, cum præda relique-
re. Rex toto eo, quo pugnabatur, triduo nullum cibum præter48
panis frustulum vino intinctum accepit, restringendæ siti, quam
obequitando per singulas turmas excitarat. Nec cubavit somni49
gratiâ, nec à fronte recessit, pariter cum cæteris objectus telis
volantibus summoq; vitæ periculo expositus. Nam Tartarus 50
in eum concitato eqvo infestum spiculum direxit, quem ipse de-
clinatione corporis subitâ evitato telo interfecit.

CAP. XX.

*Carolus & Elector copias dividunt. Moschus
Rigam dura, sed irrita obsidione premit. Novi à Svecis ti-
mentur hostes. Poloni multos miserè jugulant. Regia Conjux in
Speciam redit. Rex morte Oxensternii & captivitate Königs-
marckii afficitur. Radzevskii & Rose proditio
detegitur.*

Posthæc divisis copiis Elector Regium Montem Rex, Thoruni- 1
um se contulit. Jamq; in Polonia ad quietem res componi 2
posse videbantur; nisi illicò novorū hostium arma exaudita fuif-
sent. Nam Alexius Michaelovizius Moscovitarum Dux nobi- 3
lissimam in Livoniâ civitatem Rigam centū ferè millibus oppu-
gnabat, nunc quatiendo muros, nunc suorū multa millia in val-
lum effundendo, quem tamen obstinata ad moriendū pro salute
urbis

urbis, civium atq; imprimis præfidiariorum virtus, nocte inter-
4 pestâ, turpiter in Moscoviam suam refugere coegit. Danus su-
5 spicionem novi belli movebat. Belgæ quidem amicitiam cum
Svecis Elbingæ erant pacti, ad quam Dantiscanos quoq; traxe-
rant, sed hi amplecti noluerunt, freti tum viribus suis, tum navi-
bus Danicis Belgicisq; Mare Balthicum tutum sibi reddentibus.
6 Cæsar quoq; in Austria Silesiâq; militem conscribens sollicitudi-
7 nem augebat. Poloni verò novo milite collecto subinde in Sve-
8 cos grassabantur. Gonsévskio Duce Polonorum Ducalem Prus-
siam vastante, Cracoviam Lubomirskius obsidione semel jam
9 urbe depulsus denuò cingebat. Multa parva oppida Poloniae
10 Majoris aliquando miserè trucidatis Svecis erepta. Inprimis
Lanciciam pertinacius defendentes iram Polonorum concitave-
re, ut capto oppido nulli hominum generi, nulli ætati parceretur.
11 Milites Svecorum captos de arboribus viæ publicæ adnatis fune
quo pulvis pyrius fuscitari solet, gulam interstringentes suspen-
12 derunt. Quisquis Evangelicus nosceretur, aut Gallorum vel
13 Germanorum habitu appareret, atrocius peribat. Crines lon-
giores barbaq; promissa sufficiens hostis & hæretici indicium.
14 Calorum & lixarum vox erat: *Hæreticus est, occide; Prædicans est,*
15 *suspende.* Multi Nobilium, plures rusticorum, qui ad Svecos tran-
seuntés comam atq; barbam aluerant, ipsi radebant, togis bre-
vioribus caudas assuebant, insertis filo baccis preculas admur-
16 murabant, ut Pontificios mentirentur. Inter hæc Carolus dimissâ
ex Prussia Reginaâ Coniuge in Sveciam duos fidissimos amico-
rum Oxensternium morte extinctum, & Königsmarckium
17 fraude atq; vi Dantiscanorum interceptum dolebat. Sub idem
tempus Georgius Radzevskius proditionem patriæ novo scelere
expiare meditatus, literis Senatorem quendam Polonum roga-
verat ut veniam commissorum à Rege Johanne Casimiro impe-
18 traret, ita se Regem Sveciæ in manus Polonorum traditurum.
Sed literæ interceptæ proditoris dolum aperuere. Quare Ma-
riæburgi carceri mancipatur, & Rosa turmæ Svecorum præfectus
affecti sceleris conscius capite plectitur.

Ragotzius auxilio venit Svecis. Danus iis bellum movet edictis ejus causis. Carolus ordinatis rebus à Polonia excedit. Ragotzius recedit. Rex Hungariae & Bohemia Leopoldus suppetias fert Polonia, rationesq; quibus moveatur, exponit.

INitio anni 1656. Georgius Ragotzius Princeps Transylva-
 niae quadraginta millium militum tam Walachorum quam
 Moldaviorum & Cosaccorum exercitum ducens, per difficillima
 itinera, in signum futuræ cladis objecta, Carolo atq; Electori
 Brandenburgensi conjungebatur. Sed parvo tempore hos pri-
 mum junctos Poloniam impugnaturos currus, quo Carolus &
 Ragotzius vehebantur lapsus, æquo solo indicare visus est; Non
 multo enim post Carolum bellum novum, à Rege Daniae Fride-
 rico III. gloriosæ memoriæ illatum, in Daniam evocavit. Cau-
 sæ ejus in vulgus notæ sunt hæ: *Vi occupatos anno 1643. Archi-
 Episcopatum Bremensem & Episcopatum Verdensen tanquam pace
 Monasteriensi in satisfactionem acceptos injustè detineri. Corsicium
 Ulfeldium aule Magistrum criminosis libris variâ lingvâ sparsis læsæ
 majestatis reum justæ negatum vindictæ, & Christina, Regni Senatori-
 bus, Legatisq; exterorum Principum coram, calumnias atrocissimas
 proferre purgareq; admissum. Paræcias aliquas Aggershusiæ in Nor-
 wegia annexas sibi Svecos rapuisse, contra pacta Bremsebroæ inita, neq;
 die liti huic componendæ constituto comparuisse, causæ quasi suæ dis-
 fidentes. Teloniorum in Oresunda freto jus sumsisse, atq; dum ipsi per
 conventionem Bremsebroensem portorium nullum solverent, peregri-
 nas merces quasi suas multas transumsisse. Belgas ad eandem licen-
 tiam usurpandam promissis auxiliis hortatos. Dominium maris
 Balthici affectasse, exigentes à navibus Danorum ad Dantiscum ve-
 stigalia, conantesq; deducto Vistulae alveo commercia avertere. Re-
 gnum jam Polonorum & imprimis Prussiam quærere; ad ultimum
 magnitudinem fortune suæ non capientes aliena regna omnia inva-
 suos. Frangendam esse hanc superbiam, utq; sua cuiq; relinqueret,
 armis cogendam. Audito igitur Danos in Ducatum Bremensem
 irrupisse, cum magnâ copiarum parte Carolus, quantâ maximâ
 cele-*

14 celeritate poterat, Pomeraniam versus movit, Fratrem Adol-
15 phum in Prussia Dantisco, Ducem Steinbockium Polonis, & Co-
16 mitem magnum Gardiū Russis, opponendos relinqvens, Rago-
17 tzius parum hęc divulsione contentus Samosciam copias redu-
18 xit. Eodem tempore Rex Hungarię atq; Bohemię Leopoldus,
19 mox post Patris Ferdinandi III. obitum Imperator creatus, ap-
20 paratum belli à Patre relictum in Svecos precantibus Polonis
21 convertit. Argumenta auxiliorum Polonis missorum præcipua
22 protulit: Bellum Polonicum contra pacem Monasteriensem, ,
23 quã, si quæ fuerint Svecis à Polonis injurię factæ, sepultæ sint, ,
24 susceptum: Legatos suos paci patrandæ missos frustra diu sæpeq;
25 habitos. Ex victoriã Svecis bellum nasci, & subactã Poloniã
proximas suas hæreditarias regiones fore incendio. Ragotzium,
ne se immisceret, frustra à se monitum. Periculumq; esse ne Tur-
cam hęc in confinio discordia Christianorum ad Ungariam in-
vadendam fractis induciis invitet. Legatum Gallorum Svecis
svasisse, ne Cæsarem pacem cum Polonis paciscendo compre-
henderent. Quare oppressis ferẽ Polonis succurrere decrevisse, ,
periculumq; à potentiori vicino, Imperio Romano suisq; terris
futurum declinare. Et quæ summa sit voti, pacem, quam Sveci
nollent, armis extorquere.

CAP. XXII.

*Cracoviam Cæsariani capiunt. Ragotzius
tarpiter è Poloniã migrat. Elector Brandeburgensis Svecos
relinquit, fœdereq; se jungit Cæsari, Danis, Polonisqve. Caroli pro-
gressus in Daniã veloces felicesqve. Occupat Fioniam aliasq; in-
sulas. Ad Hassniam castra locat. Pacem cum Da-
nis facit.*

1 **E**Xercitus autem Austriacus undecim millium septingento-
2 rum & triginta, cui Hatzfeldius erat præpositus, Polonis
3 junctis Cracoviam obsedit, desperantesq; auxilium Svecos ad
4 ditionem compulit. Ragotzius ab amicis relictus, ab ho-
5 stibus circumventus, arbitrio Polonorum Duce Czarnetzkiõ in-
6 sectantium se submittens, turpiter Poloniã excessit, domi vasta
7 omnia, popularium atq; Imperatoris Turcarum rebus malè ge-
8 stis

stis odium lugens. Llyoniam verò Comes Magnus Gardius & 3
Simon Helmfeldius strenuè tuebantur. Elector Braudeburgen- 4
sis quoq; cum Johanne Casimiro Rege Poloniæ non solum in-
gratiam rediit, sed & postea fœdus cum Cæsare Leopoldo, Da-
no atq; Polono de Svecis bello perseqvendis Berolini pepigit.
Movebantur successibus, quos brevi tempore Carolus in Daniâ 5
fecerat, maximis. Is famam adventus sui festinatione præce- 6
perat, datiq; propè Hamburgum militi paucis ad corpora cu-
randa diebus ulterius progressus Holsatiam, Jutlandiam Insu-
lasq; in partes suas traxerat. Classis pugnam dubiam, centum 7
& sexaginta Svecorum in Norvegiâ à Canuto Uhlefeldio in-
ternecionem, Svecorum à Rege ipso Daniæ è Scania ejectionem,
Friderichs Oddæ expugnatio subita compensavit. Hujus suc- 8
cessus fama Czarnetzkium Pomeraniam cum exercitu vastan-
tem adeò terruit, ut mox in Poloniam regrederetur. Carolo 9
autem ingentem alacritatem injecit, ad reliqvum belli cum no-
vo anno 1658. conficiendum. Insolitâ tunc hyeme, mare per 10
multas ætates inter intensa frigora fluidû, aut littoribus malefidâ
glacie concrecens, hostiles terras, non nisi ratibus adiri solitas,
velut ponte quodam junxerat. Hunc à Cœlo sibi structum eun- 11
dum esse existimans præmisit, qui iter experiretur. Eodem tuta- 12
omnia & glaciem oneri sustinendo aptam, & minus alicubi fir-
mam trabibus, asseribusq; impositis transitu facilè renunciante,
exercitum per mare ducit versus Fioniam, Langelandiam, La- 13
landiam Insulas itinere flexo. Procedebat ordinibus, quali-
bus acies instruitur, ut hostem fortè occurrentem paratus mi- 14
les exciperet; Nec quisquam in itinere submersus est eorum, 14
qui in ordinibus erant. Nonnulli, qui extra exercitus viam transi- 15
bant, inter quos currus Regis cum sex eqvis & duobus rectori-
bus, aquis hausti sunt. Fioniam primo impetu ad deditonem, 16
compulit, paulò post Lalandiâ, Langelandiâ, Falstriâ spontè se
submittentibus. Hinc quòd magnum momentum in celerita- 17
te positum esset, singulos eqvites armatum quemq; peditem à
tergo eqvi vehere jussit, Zelandiamq; pertransiit castris haud
procul Hafniâ prope Rotschildam positis. Tum repente Regi- 18
am ingens incessit consternatio, dum imparem se Victoris fortu-
næ ani-

19 nã animo & viribus cerneret. Qvis auxilia, qvis classẽ hye-
20 me anni mitteret? Ruina tamen rerum erat in hostium venire
21 manus urbem dominam. Nam vi superatam reliquis civitatibus
22 terrori fore, ne resistere audeant, spontẽ dedentem exemplo,
23 qvõ trahantur reliqvæ, æstimabat. Placuit igitur Carolum de pa-
24 ce compellare. Missi ad offerendam aliqui à Rege Daniæ junctis
25 Gallorum Britannorumq; qvi tũm in urbe erant, Legatis. Hi be-
26 nignẽ excepti, inter utrumq; Regem deletã omnium injuriarum
27 memoriã perpetuam sinceramq; amicitiam pepigere: *ne alter-
uter fœdere se hostibus alterius jungeret, neve ullo modo auxiliare-
tur; Contra ab initã fortẽ in alterius noxam societate discederet. I-
gitur classẽ hostilem uterq; intercluderent transitu freti Danici Ma-
risq; Balthici. Proprias haberet Carolus successoresq; ejus atque
Sveciã regnum, Hallandiam, Scaniã, Bleckingiam, Bornholmiam,
arcemq; Bahusiam cum adjacentibus. Hãc pace, qvæ pluribus a-
liis articulis constabat, factã Reges ad riam & ad amorem fa-
ciles Friderichsburgi convenere. Uterq; conredientium do-
lore recentis belli gaudioq; novæ pacis lachrymas fundens os
alteri rigabat. Nec diuturnam nec fidam amicitiam complo-
rassẽ, motu animi inter mœrorem ac gaudium difficili, dixisset,
discordiarum mox acrius resumendarum vates.*

CAP. XXIII.

*Thorunium à Confœderatis obsessum. Mosco-
vie Dux successus Caroli formidat. Elector Brandeburgen-
sis Svecos hostiliter habet. Carolus in regnum revertitur; bellum
Danicum resumitur; Hafnia obsidetur. Belgæ classe fretum Danicum
penetrant. Gottorpium confœderatis cedit. Curlandiã Dux capti-
vus abducitur. Sveci ex Alsã pelluntur. Thoru-
nium dedunt.*

1 **I**Nter hæc in Poloniã Confœderati Thorunium obsidentes
2 **L**excursionibus obsessorum defatigabantur. Moscoviã Dux
3 **C**aroli Gustavi Legatum Bilkium per biennium carceri manci-
patum spontẽ libertati restituit, proprioq; carpentõ impositum
in Palatium, qvõd Legatis Imperatoris hospitio datum erat,
splendido cum Comitatu misit. Contra Elector Brandeburgen-
sis

4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
8
5

fis multum conscribens exercitum hostilem in modum, quic-
quid Svecici nominis apprehendebatur, habebat. At Carolus
inter gratulationes Senatus, officia obviantium, civiumque
gaudia in regnum revertit. Pro pace tam felici, tam congruente
omnium votis reddita actæ amplissimis verbis gratiæ, nec quic-
quam omissum, quod publicam lætitiã declararet. Ex reditu
ejus pestilentia, quã sæviente paulò ante multa millia hominum
absumta sunt, subito desiit: adeò humani generis rectoribus a-
liiquid divini inesse comperimus. Pacato hoc hoste vires suas
longiùs distrahente ad bellum animo revertebatur, quod in Po-
lonia reliquerat. Nec dubium erat honestam pacem Polonis da-
turum esse, nisi novi hostes ad infringendam fortunam ejus cum
veteribus insurgentes, bellumq; Danicum denuò suscitatum im-
pedivissent. Pacem enim cum Dano suspectam habens, secretaq;
Imperatoris, Polonorum atq; Electoris Brandenburgensis ne quic-
quam à se avocati, timens adhibito consilio amicorum Daniam
denuò aggredi statuit; quòd & proxima bello esset, & ad resi-
stendum, antequam auxilia ferrentur, invalida videretur. Igitur
octo millia militum in Selandiam trajecit, castrisq; in conspe-
ctu urbis Haffniensis positis oppugnationem minatus est. Cro-
neburgum castrum, unde in fretum maris Imperium, Wrange-
lius assiduis tormentorum ictibus concussum deditione obti-
nuit. Haffniam ignita à Svecis tela magno numero injecta invo-
labant. Quibus tamen plurimis irritis cadentibus animi obfesso-
rum non sunt fracti. Ternã enim eruptione octingentos & am-
plius Svecos interneconi dederunt. Belgæ cum Danis sociis
suppetias venire decrevissent, classem quadraginta navium or-
nabant, exceptis incendiariis navigiis. Quã re compertã Sveci o-
mnem vim expugnandæ urbi admovendam censuerunt ante Bel-
garum adventum. Verbùm Jacobo Gardio tormenti ictu in-
terfecto, atq; Sultzbacensi per confœderatos viginti millium pe-
ditum equitumq; exercitu, quem ipse Elector Brandenburgicus
sequēbatur, Holsatiã exuto, consilium mutavere, Amackiumq;
Insulam invasere, quã à Rege Daniæ acri certamine superati eje-
cti sunt. Dum hæc agebantur, venit cum classe Belgarum Ar-
chithalassus Obdanius, oneratis navibus milite, commeatu, ar-
mis

18 mis, quævis Haffniensia incenia defendi possent. Transitu inter
4 duo propugnacula freto custodiendo imposita classem prohibe-
19 re Rex Wrangelio demandaverat. Hic Belgas secundo ven-
5 to munimenta prætereuntes nec pro more vela deducentes na-
20 vali pugnâ adortus est. Acerrimum certamen clade utrinq; ac-
6 ceptâ constat. Multi faucii, plures interfecti, naves ipsæ aquis
21 haustæ. Inter hostilis classis præfectos occubuerunt Vitte Vitteson,
22 & Petrus Florison. Wrangelium juniorem navis ad latus Obda-
7 mii submersa in profundum secum traxit. Undis jam innatans pe-
23 rire maluit, quàm ab hoste offerente vitam recipere. Transiere
8 quidem Belgæ fretum, sed laceratas plerasq; naves Haffniam ap-
24 pulerunt. Elector Brandenburgensis sub hoc tēpus Caroli Gusta-
25 vi socerum sedem suam Gottorpium dedere adegit. Duglassius
9 contra Curlandiæ Ducem Electoris, cujus sororem habebat in
matrimonio, affinem, Polonis Moscisq; occultè favere creditum,
Mitaviâ dolo captâ, cum conjuge trium dierum puerperâ o-
10 mniq; familiâ Rigam captivum abduxit. Poloni Danorum &
Batavorum operâ in Insulam Alsam traducti Svecos depulere.
11 Thorunium sex integris mensibus obsessum fame atq; morbis
urgentibus Polonos, dimissis Svecis, recepit.

CAP. XXIV.

*Carolus in hibernis hostes invadit, Haffniam
aliquoties frustra tentat, Insulas aliquas subigit. Classis
Anglorum in fretum appellit. Inducia inter Svecos atq; Danos. Con-
fæderati Pomeraniam impugnant. In Jutia Sveci vincuntur,
Fioniâ ejiciuntur. Stetinum obsidionem
perfert.*

1 **A**Nno novo quinquagesimo nono Carolus Gustavus hostes
2 in hybernis oppugnavit. Repulsus Lalandiâ Monâq; Insu-
lis, quas per glaciem invaserat, ultima ad Haffniam experiri de-
3 crevit. Induti indusiis albisq; pileis milites, quò minus à nivibus
distinguerentur, & acuto ad manus genuaq; non multùm calca-
ribus absimili ferramento præligati, ut per glaciem proni possent
4 repere. Zonâ insuper corpus incincti, de quâ binæ, ut vocant, Pi-
5 stolæ pendeabant. Hi fossas tenus ad urbem nocte proserpere, utq;
G appro-

appropinquassent urbi surgere in pedes qui repserant, inque
vallum evadere. Sed Dani Hollandiq; præfidiarii ob tumultum
fomno exciti ad arma provolarunt, Regisq; Friderici animos ad
resistendum impellentis præsentia, quæ multum de magnitudi-
ne periculi, cui nec ipse cederet, detrahebat, animati, aliquot
millibus cæsis eos repulerunt. Carolus nihilominus assidere
urbi perseveravit, magnum rebus suis momentum additura, si
caperet. Tertium igitur & ultimum omniumq; reliquorum a-
cerrimum impetum facere paravit. Supplementum è Sveciâ e-
xercitus accepit, machinasq; omnis generis adornavit. Nox co-
natui aptior visa est. Jussi igitur angulum arcis Regiæ inter por-
tam Occidentalem & aulam Regis, pæcileq; & cerevisariam,
domum scrutari, faciles aditus comperiunt eâ parte, quâ insula
Amachia ab Haffnia aquis dirimitur, neq; quicquam impedire
posse præter Cercurum sex & viginti tormentis majoribus in-
structum, qui propè ab urbe anchoris nitatur. Rex extemplo
quos audaciores è suis noverat, in eum mittit, qui occupatum fa-
cibus subditis incenderunt. Luxit ea flamma obsessis, Svecorum-
que mœnibus succedere parantium insidias detexit. Quare emis-
sis confertim globis retrò castra ire oppugnantes compulere, ef-
fusiq; primo diluculo extra portas occisos spoliavere. Nocte
ad decimam provectâ iterum oppugnationem fieri decretum
erat; Sed Geneckius præfectus militum, dum Cercurum heri
incensum igne verò extincto non totum absumtum & præsidio
vacuum aliaq; lustrando tempus traheret, consilium irritum
fecit. Vicesimo Februarii die, mandante Rege, in munimenta ur-
bis multa millia se effuderunt, quorum pars propugnaculum
unum tres horas tenuit. Sed omnibus obsessorum virtute depul-
sis cum multi nobilissimorum Ducum novâ aggressionem factâ
caderent fauciarenturque, signum receptui datum. His ad Haf-
fniam infelicius, mense Martio, gestis bimestri post in ditionem
Svecorum venerunt Insulæ Codani sinus Mactogæa, Alsen, Fal-
ster, Lagæa, Meuna. Circa id tempus socia & amica Svecis An-
glorum classis in fretum Danicum appulit, ut prohiberet, ne
quid injuriæ fieret, omnia ad pacem inclinaret, detractantemq;
morosius cogeret. Gallorum, Belgarum, Anglorumq; Legati in-
ducias

18 ducias inter Svecos atq; Danos pactas prolongarunt. Intereano-
19 vum militem classemq; instruebant Sveci. Fœderati, Cæsar, Polo-
nus, Brandenburgicus Elector Pomeraniam invadentes qverelam
Carolo Gustavo apud Deputatos Francofurti congregatos mo-
20 verunt. In Jutiâ Svecos Dani novis Belgarum auxiliis instructi
21 acie superarunt: Iidem fœderatorum copiis adjuti Fionia Svecos
22 difficiles cedere expulerunt. Dùm Carolus Gustavus cum exer-
citu Haffniam premeret, Stetinenses præfecto Paulo Würzio ob-
sidionem ab extremo Augusto mense in Decembrem continuam
durissimamq; adversus Cæsareanos invicti sustinuerunt.

CAP. XXV.

*Carolus Gustavus Gothoburgum proficiscitur, Febri corri-
pitur, restituitur, recidivam passus extingvitur. Luctus publicus,
Laus defuncti & sepultura. Pax Svecos inter atq; Polonos, Im-
peratorem, Electoremq; Brandenburgensem initur:*

Danica mox sequitur.

1 **A**Nno 1660. Carolus è castris profectus Comitiorum gratiâ
2 Ordines Regni Gothoburgum vocat. Hi ipsi castra semper
secuto Imperatori, contra tot hostes quintum jam annum patri-
am suâ manu & consilio defendenti, maximas egere gratias, o-
pesq; & vitam pro incolumitate ejus se effundere paratos confes-
3 si sunt. Inter cæteros senex barbam canitie spectabilem manu
prehendens: *Cum hæc, inquit, in prælio Rex pro salute tuâ patri-*
4 *æq; me atq; socios videbis, cum flos juventutis deerit.* Magna Re-
5 gem hîc suorum animus lætitia affecit. Mense Januario die ad-
modùm frigido è Gothiæ finibus in Norvvegiam trahâ, quæ lu-
6 bricâ facilitate per glaciem & nivem celerrimè fertur, fereba-
7 tur. Bahusam cum venisset, Lariffæi Kaggæi Ducis sui in interi-
8 oribus Norvvegiæ felices successus accepit. Id iter morbum fa-
9 talem Regi contrahere visum est. Quinto enim post die Gotho-
10 burgum reducem febris corripuit multa secum Symptomata fe-
rens. Catharri in guttur arteriamq; defluebant, tussi importunâ
11 corpus contudente. Dolores capitis, sitis, insomnia decum-
12 bentis langvorem augebant. Ubi tamen Medicorum industriâ fe-
briles vecissitudines stitere, salubritas toto corpore percepta est.
13 Jam somnum capeffere, cibus vesci, comitiis interesse. At atte-
14 nu-
15
16
17

nuatum tot militiæ laboribus & tempestatibus corpus valetudi- 11
nem diu conservare non poterat. Septimo enim Februarii die 12
subito frigore artus concuti cœpere. Calor quatuor post horas
suffusus est vehementissimus. Lateribus compunctis, cordisq; 13
palpantis angustiâ anxius, spiritum difficulter trahebat. Seque- 14
batur profluvium ventris & singultus strangulatio, nullo sternu-
tamento superveniente. Rex cum ingravescentem morbum 15
& jam prope mortem adesse sentiret, collocato ad dexteram u-
nico filio quinquenni Regem renunciatum Ordinibus dedit. Im- 16
puberis tutelam matri, Senatui atq; Ludovico XIV. Galliarum
Regi commisit; Sic ordinatis ad Salutem Regni rebus, suam in 17
alterâ vitâ futuram curavit. Advocato Sacerdote crimina per 18
omnem vitam commissa seriò se dolere confessus, fidem de re-
missione peccatorum Corpore ac Sangvine Jesu Christi (quam
cœnam, non Eucharistiam hæreticorû Thuldenus eum accepisse
ait, absurdior Scholasticus, an impudentior Historicus, nescio)
confirmavit. Ita paratus ultimam vitæ horam haud diu exspe- 19
ctabat. Mox enim cum post inanem vomitum sudor totâ dif- 20
fluens cute adipem affecti corporis ardore acuti morbi lique-
factum exprimeret, integro semper usu rationis die decimo ter-
tio Februarii extingvitur, trigesimo septimo ætatis anno. Tum 21
ploratu lamentisq; & planctibus tota Regio personabat. Nec
jam magnitudinem doloris Regis Conjux & qui circa erant ca-
pere poterant. Non muris urbis luctus continebatur, sed pro- 22
xima quæq; deinde remotiora tanti mali fama pervaserat. Ca-
stra, urbes, oppida, pagi luctu ac mœrore complebantur. Mox 23
velut in vasta solitudine omnia tristi silentio muta torpebant, ad
cogitationes, quid deinde inter tot potentissimos hostes futu-
rum esset, dolore converso. *Vigor ejus & vultus educentis in prali-* 24
um milites, obsidentis urbes, occurrebant oculis. Audiebantur vo- 25
ces quibus spem militum attollere solebat, quò plures hostes, hoc
majus virtutis argumentum offerri. Et sane justè æstimantibus 26
Regem liquet bona ejus fuisse maxima. Vis incredibilis animi 27
otium semper fastidians, laboris patientia propemodum nimia,
mortis cujus metus alios exanimat, perpetua contemptio, non
quod arte Passaviensi membra ejus, ut putat Thuldenus, rigerent,
sed

sed precibus vitam DEO commendans nullum verebatur pe-
28 riculum. Liberalitas Principe digna, quam & rationes Saxoni-
cæ Nationis, quâ unâ cum reliquis tribus Lipsiensis Academia
29 nititur, in perpetuam memoriam referunt. Gloriæ Laudisq;
cupido longè maxima. Pietas erga DEUM, amor in Conju-
30 gem subditosq; incredibilis. Benevolentia erga milites, erga
devictos clementia; quibus vi arma excusserat, aut sponte metu
ceciderant æquè magnitudinem atq; clementiam admirabantur.
31 In dubiis expeditum consilium, in adversis præsens animus: Oc-
cultè habebat consilia, & quæ decreverat facere, sine mora exe-
32 quebatur. Circa victum ita indifferens, ut sæpe castrensibus ci-
33 bis vesceretur, ne lautiore cœnæ apparatu tempus periret. Fa-
tendum tamen est, cum plurimum virtuti debuerit, plus debuisse
Numinis curæ. Quoties illum à morte revocavit? quoties ab
34 hostibus circumventum perpetuâ felicitate protexit? Vitæ quoq;
finem eundem illi quem gloriæ statuit. Expectavere eum fata,
dum solus quinque potentissimorum hostium impetus se sustinere
35 posse ostendisset. Funus aromatibus conditum argenteo folio
impositum est, adjectis tantæ Majestatis insignibus Regiaq; pom-
36 pa à Proceribus Regni & Ordinibus Stockholmia elatum. Sed
37 & hostes, quibus adversus Carolum bellum fuerat, velut in do-
38 mestico luctu consentire videbantur ad inducias pacemq;. Men-
se enim Majo Polonis, Imperatoriis, Brandenburgicis, Sveci re-
39 conciliati sunt. Inter alia placuit, Prussiam Regalem Polonis
restitui; Johannem Casimirum literas ad Svecos dantem titulo,
figillo & insignibus regni Sveciæ abstinere, cum suis aut aliis a-
gentem uti; de cætero Juri in Sveciam pro se successoribusq;
renunciare; Curlandiæ Ducem cum familia à Svecis, atq; Kö-
nigsmarckium à Dantiscanis ex captivitate dimitti; Livoniæ par-
40 tem ultra Dunam amnem Svecis relinqui. Ejusdem mensis die
vicesimo septimo cum Danis quoq; Pax coaluit, quæ Svecis
Hallandiam, Scaniam, Bleckingiam, Huenam, arcem & Ditio-
41 nem Bahusiam reliquit. Magno compositis his eodem tempo-
re bellis tranquillitas in Europa gaudio accepta est, in qua ha-
ctenus populi proficiunt & utilitas Christianorum custoditur,
fiuntq; vota pro incolumitate Principum, in quorum salute o-
mnium salus conquiescit. Con-

Confectaria aliquot Historico-Politica.

- I. **C**ap.I.n.13.seqq.Principes etiam in aliena terra quandoq₃ fortuna expectat.
- II. Cap.II.n.2.Nominibus Majorum infantes in spem fortuna^m morumq₃ similitium solent appellari.
- III. Cap.III.n.1.ad n.6.n.8.seqq.Principes juventutis partim in Academia, partim in exercitu educandi. Saavedra Symb. Pol.3.
- IV. Ib.n.6.Ludis puerorū sæpè aliquid ominis inest.Vid. Just.l.1.c.5.n.1.seqq
- V. Cap.IV.n.2.Nemo celerius opprimitur,quam qui nihil timet.
- VI. Cap.V.n.3.Gynecocratiæ subsidiaria aliquando sine suo excidit, quem habet, continuare familiam Regiam. Exemplum ex superiore maximè seculo est Elisabetha Regina Angliæ, similis Christina, quòd & ipsa (1) Regni se capacem ostenderet; (2) aspernaretur nuptias. Dissimilis verò, quòd (1) illa successorem, dum viveret, designare nollet, postulantibus inqviens: invitâ sibi non esse struendum sepulchrum: (Perez, in Jur.P.p.49.) Hæc verò ultrò acciperet. (2) Imperium illa quadraginta quinq₃ annis gestum tertio seculi nostri anno cum vita deponeret; hæc viva fastidiret.
- VII. Ibid,n.10.Dividi unius Regni provincias inter plures dissuadet etiam Saaved.Symb.70.p.604
- VIII. Ib.n.11.& C.X.n.4.Regem præsentè regno suo sapienter cupiunt populi.
- IX. Ib.n.12.Procerum in regno aliqua libertate gaudentium interest, quam uxorem ducat Princeps. Piccart. Decad.6.Observ.Hist.Polit.c.3.Ideò & Poloni nolunt Regem suum insciâ invitâq₃ Republicâ Conjugem accipere.Vid. Lans.Orat.Cont.Polon.p.679.seq.
- X. Ib.n.14.& C.VIII.n.1.2.Ejusdem secum religionis uxore ducat Princeps.
- XI. Ib.n.16.Per unionem hanc hæreditariam Principem, qui fidem Evangelicam deserit, vitâ, dignitate & bonis exui observat Sprenger. in Opusc. Jur.Publ.p.922.
- XII. C.VI.Ignotum Principum aula prodigium, ut cum possint imperare desistant, ceu loquitur Strada de Bello Belg, dec.1.lib.1.superiori seculo contigit, dum Carolus V.Imperio Regnisq₃ abiret. (vid. Burgoldens. p. 1. dis. 1. n. 43.) Nostro in Svecia, & nuper in Polonia visum est.
- XIII. C.VII.n.8.Inde quæsitum; An Principibus in territorio alieno commorantibus pro arbitrio punire liceat suos, qui in se deliquerunt? Affirmabit procul dubio Richard.Zoucheus per ea, quæ habet part. 2. Jur. Feçial. sect.2.q.9.p.130.seq.
- XIV. Ib.n.17.Felix prædicat Sprengerus (Opusc. J.P.p.922.) Imperium Svecorum

rum, quod gaudeat unitate fidei, & quidem Augustanae Confessionis dogmate præter quod nulla alia fides inveniatur sive publicum sive privatum exercitium, nisi quod Holmiæ Legatis Regum permittatur sacellorum usus.

Cap. IX. n. 11. Religiones diversæ absq; fide læsâ & ruinâ Reipublicæ, è Poloniâ pelli non possunt, quamvis subindè id Clerici moliantur (Piasssec. Chron. p. 543. seq.) in quos proinde acriter invebitur Personatus Florianus de Gurry Gursky p. 54. Examinis Sarmatici.

XV.

Ib. n. 14. Vectigalia pro certâ pecuniæ summâ maximâ offerentibus, velut in publicâ auctione elocari, & velut vendi privatis in primis Judæis, dissvaserim. Conf. Saaved. Symb. 67. p. 574. distinctionem tamen vectigalium, quam hic adhibet in gratiam Belgarum Buxborn. lege in ejusdem Disq. Polit. Cas. 42. p. 201.

XVI.

Ib. n. 43. Ita Germanos Veteres scribit Tacitus in Germ. c. II. n. 4. non simul, nec jussos convenisse, sed & alterum & tertium diem cunctatione coëuntium absumtum.

XVII.

Ib. n. 59. Non genuina illa ratio apud Lansium est in Orat. cont. Polon. p. 979. ob quam Poloni è peregrinis Regem asciscunt. Reddunt eam Förstnerus ad Tacit. l. 2. A. p. 122. edit. in octavo. Zevcot. ad Flor. in l. 2. c. 2. p. 247. & l. 3. c. 3. p. 350.

XIIX.

Ib. n. 66 seq. Forma Reip. Polonica Principatus Aristocratiâ mixtus videtur.

XIX.

Cap. X. n. 6. Libertas Ecclesiastica & Politica per pacta subditis promissa honestè utiliterq; servatur, malè perniciosèq; violatur. Forstner. ad l. 2. A. p. 118. 120. Sprenger. Opusc. J. P. p. 945.

XX.

Ibid. n. 9. dissidia antiqua malè sopita in bellum tandem erumpunt. Saaved. Symb. 93. p. 396.

XXI.

Ib. n. 20. seqq. Tabulæ plenipotenciales eorum, qui de rebus arduis agendi decernendiq; accepere potestatem, accuratè sunt excutiendæ. Conf. Buxborn. in Disq. Pol. Cas. 40.

XXII.

C. XI. C. XXI. n. 1. 2. Mala futura haut rarò indiciis quibusdã significatur

XXIII.

C. XII. n. 1. seqq. C. XXI. n. 5. & n. 17. seqq. Bella antequam, aut cum inferuntur, expositis causis eorum indicenda. Saaved. Symb. 44. Grotius lib. III. de Jure B. & P. c. 8. §. 5. & seqq.

XXIV.

C. XIII. n. 1. C. XIX. n. 28. Princeps bellis ipse intersit. Saaved. Symb. 86. p. 712. Perez. J. P. p. 263.

XXV.

Ib. n. 14. Egregii Imperatores semper in id incubuerunt, ne novis auxiliis hostilis exercitus firmare se posset. Zevcot. ad Flor. 3. 5. 22.


XXVI.

Ib. &

- QK
 Th
 672
- XXVII. *Ib. & Cap. XIV. n. 28. seqq. Cap. XIX. n. 14. Obsidioni urbis non inhaerendum unicè. Forstner. ad Tacit. 2. A. p. 169.*
 XXIIIX. *Ib. n. 16. seqq. Cavendum ne per injectas ab hoste tractationes securi aut negligentes reddamur. Zevcot. ad Flor. p. 242. 257. 308. 364. Forstner ad L. 4. An. p. 386. Saaved. Symb. 98. Boxhorn. Disq. Polit. Cas. 54.*
 XXIX. *Cap. XIV. n. 31. Sollicitè speculari hostem necesse est.*
 XXX. *Cap. XV. n. 2. Cap. XVIII. n. 11. & Cap. XVI. n. 3. C. XX. n. 17. Transfugarum fides lubrica.*
 XXXI. *C. XVI. n. 8. Opportunis undiq; locis occupatis claudendus hostis.*
 XXXII. *Ibid. n. 19. C. XXIII. n. 11. Potentiam crescentem reprimendam sibi ię putant, qui timendam habent.*
 XXXIII. *Ibid. n. 21. Cave quos viceris amicos credas. Curt. 7. 8. 28. Tacit. H. 2. 7. 1.*
 XXXIV. *C. XVIII. n. 14. seqq. Fortes & Strenui etiam contra fortunam insi- stunt spei. Tacit. H. 2. 45. 2.*
 XXXV. *C. XIX. n. 24. Bellum anceps paci inhonestè anteferendum. Tacit. 15. 25. 2. Saaved. Symb. 93. p. 795. Piceait. Dec. 13. cap. 8.*
 XXXVI. *C. XXI. n. 6. An supplices & profugi excipi ac securi præstari possint, disquirat Zevcot. ad Flor. 2. 18. 3. Zouch. Parte 2. Jur. Fecial. sect. 5. q. 3.*
 XXXVII. *Ibid. n. 20. 24. Confinia status vicini status proprii muri habentur; ideoq; armis aut opibus contra eos, qui convellere posse timentur, susten- tantur. Saaved. Symb. 91. p. 746. Perez. J. P. p. 217. 235. Forstner. ad 6. A. p. 439. seqq.*
 XXXIIIX. *C. XXII. n. 24. Tutior est certa pax quàm sperata victoria. Id. ad Ejusd. 1. 1. 10. p. 205.*
 XXXIX. *C. XXIII. n. 2. Legatos inviolabiles Barbari duritiis tractant. Zevcot. ad Flor. 1. 18. 5. p. 224.*
 XL. *Ex eod. Quò se fortuna, eodem favor hominum inclinat. Justin. 5. l. II.*
 XLI. *Ibid. n. 9. Memoria veteres etiam docent, in extremis casibus ięta fœdera re- petitione bellorum illicò dissoluta. Forstner. ad Tacit. A. l. 2. p. 218. seqq.*
 XLII. *Ibid. n. 24. seqq. Ut securitati suæ quòis consulat, loca opportuna etiam ami- corum, aut quòos suspectos habet, occupare posse videtur. Zevcot. ad Flor. 3. 7. Boxhorn. Disp. Pol. Cas. 30. Grotius lib. 2. de J. B. & P. cap. 2. n. 10.*
 XLIII. *C. XIX. n. 49. C. XXIV. n. 6. Laudem meretur Imperator, quòsi fortuna se non subtrahit. Liv. L. 21. c. 4.*
 XLIV. *C. XXV. n. 3. Opes & Vita pro patria effundenda. Polyb. l. 1. c. 59.*
 XLV. *C. XXV. n. 36. seqq. Deo animos hominum resq; ipsas disponente, communi o- mnium consensu pax aliquò tempore terris redditur. Vid. Bunon. Ideam Hist. universal. in A. 1660.*

Errata extantiora sic corrigenda.

C. 9. n. 8. æeris pro acris. n. 24. Podòlia. n. 55. deposcendis. c. 13. n. 3. prohi-
 bituri. n. 21. Patruum l. patruelem. c. 14. n. 30. vivere l. ivere. c. 18. in Sum-
 mario; vergit l. pergit. n. 14. deserto. n. 18. crebros. c. 19. n. 1. hoc l. hác. n. 4.
 Sillav. l. Pillaviam.



1017

Q. K. 381, 13.

CARO

Potent
the

Indultu

M. JOH
Fa

Publica

SAMU



Kodak
LICENSED PRODUCT
3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

AVI
Go.


ice

ANI,

ita

RO,

Mons. Esen



7

